


ORDO MISSÆ
SECUNDVM RITVM SAN-
CTÆ ROMANÆ ECCLSIÆ AV-

TORE R.P.D. IOANNE BURCADO ARGENTINENSIS decretorum doctore, & capella Summi Pontificis Ceremoniatarum magistro: cum resolutione dubitorum in Missa occurrentium.



Handwritten notes:
~~8273~~
 Pos. 1
 1.11.77 p.



De mandato Illustrissimi, & Reuerendissimi D. D. Michaelis
à Castro Olyssipponensis Archiepiscopi metropolitani.
Cum licentia & facultate mensæ generalis
Sancti Officij.

Regioq. privilegio.

Excudebat Antonius Aluarez Olyssipponensis Anno Dñi 1597.

Achartê ha em casa de João Lopez liureiro do Senhor Arcebispo.

Estã taxado a 300 r\$ em papel.

D O M Miguel de Castro, Metropolitanô Arcebispo de Lisboa, &c. Fazemos saber aos que a presente virem, q̃ por sermos informados que ha muito tempo que se não imprimão as Constituições deste Arcebisado, & por esta causa auer muita falta dellas, & as não poderem auer as pessoas que tẽ obrigação de as ter, auemos por bõ que se imprimão nesta cidade assi & da maneira que nellas se contẽ, assi as antiguas, como as extrauagantes, & Concilio Prouincial, que vltimamente se celebrou: & assim mesmo o Calendario das festas, de que neste Arcebisado se deue rezar, & o Cerimonial dos Sacramentos. A qual impressão se fará por ordem de Ioão Lopez nosso liureiro, & por o impressor que elle para isso nomear. E nenhum outro liureiro, impressor, ou pessoa algũa, as poderá imprimir, nem vender senão o ditto Ioão Lopez, ou quem elle para isso escolber. O que assi mandamos se cumpra em virtude de obediencia, & sobpena de escumunhão ipso facto incurrenda. E para que na impressão, que assi mandamos fazer das ditas Constituições, Concilio, & Calendario, & Cerimonial se não possa acrecẽtar, nem diminuir cousa algũa alem do que por nos he mandado. & ordenado, mandamos q̃ lhe seja dado fe, & credito, sendo cada volume assinado no fim pello nosso Prouisor, & não doutra maneira. Ao qual mandamos que os assine para que valhão, & para ello lhe damos nosso poder, & autoridade: & não se poderá vender cada volume por mais preço do que no fim de cada hum irá taxado, &c. Dada em Lisboa: sob nosso sinal, & sello, aos xxij. dias do mes de Outubro. Marcos de Mesquita o fez, anno de M. D. LXXVII. Theodosio de Moraes o sobscreu.

O Arcebispo de
Lisboa.



PROVISAM DE
Sua Magestade.

El Rey faço saber aos que este aluara virem, que Ioão Lopez liureiro do Arcebispo de Lisboa me enuiou dizer por sua petição, que o dito Arcebispo queria mandar imprimir as Constituições de seu Arcebispado, así as antigvas, como as extrauagantes primeiras, & segúdas, & o Synodo Prouincial, que vltimamente se celebrou no ditto Arcebispado, & o Calendario dos Sanctos, de que se nelle deue rezar: & o Cerimonial dos Sacramêtos, & as regras do rezar Romano, & o Cerimonial das Missas: o que tudo fora vulto, & aprouado pello Sancto Officio, & por o ditto Arcebispo. E porque as impressões neste Reyno eráo muito custosas, me pedia lhe concedesse priuilegio, que nenhũa outra pessoa pudesse imprimir os dittos liuros neste Reyno, nem trazer de fora delle impressos, sob as penas, & pello tempo que ouuelle por bem. E visto seu requerimento, & o seruiço de nosso Senhor, que se podera seguir dos dittos liuros serem impressos, ey por bem, & me praz, q pessoa algũa, de qualquer qualidade que seja, não possa por tempo de dez annos, que começã da feitura deste aluara em diante, imprimir, nem vender nenhum dos dittos liuros nestes Reynos, & Senhorios, nem os trazer de fora delles, saluo o ditto Ioão Lopez, ou quem para isso seu poder, & licença tiuer: & qualquer outra pessoa, que durando o tempo dos dittos dez annos imprimir, ou veder qualquer dos dittos liuros em meus Reynos, & Senhorios, ou os trouxer de fora delles sem sua licença, perderã para o ditto Ioão Lopez todos os volumes, que así imprimir, vender, ou trouxer: & os moldes, & aparelhos com que os fizer: & alem disso encorrerã em pena de cincoêta cruzados, a metade para os cattiuos, & a outra metade para quem o acusar. E mando a todas as justiças, a que este aluar a for mostrado, & o conhecimento pertencer, q o cumprão, & fação inteiramente cumprir, & guardar como se nelle cõtem: o qual ey por bê, que valha, & tenha força & vigor, como se fosse carta feita em meu nome, por mí assínada, & passada por minha Chancellaria, sem embargo da ordenação do segundo liuro titulo vinte, que dispoem o contrario. Francisco Nunez de Paua o fez em Lisboa a dez de Junho de 1588. Annos.

R E Y.

ORDO SERVANDVS
 per sacerdotē in celebratione missæ sine cantu, & sine ministris secundum ritum sanctæ Romanæ ecclesiæ. Dicitur debet ex libro expedite, non tamen nimis festinanter: & fieri omnia ut iacent, nihil omisso, nihil addito, aut in eis mutato, vel de ipsis minuto. Et ordinem huiusmodi obseruant etiam Summus Pontifex, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi, quando non celebrant pontificaliter, sed in priuato. Cum autem in pontificalibus celebrant, obseruant cæremonias in pontificali, & cæremoniali positas.

De tempore, & loco dicendi missam.

Missa debet dici ab aurora vsq; ad horam nonā, in loco, & altari ab Episcopo consecratis. Potest tamen de licentia Episcopi ordinarij dici etiam in loco non consecrato, aliàs tamē congruo, & honesto, & super altari portatili consecrato, & duobus præsentibus, si est publica: vel si
 A priuata,

O R D O

priuata, vno præſente, qui respondeat in personâ
totius populi: quam soli sacerdotirite ordinato,
& indumentis debitis parato, detecto capite dice
re licet: debetq; seruari ordinarium missæ, tam in
dicendis, quam etiam in actibus.

¶ De altari.

SI altare non est consecratum, habere debet al
tare portatile de super in medio. Aduertat aut
sacerdos, an lapis in altari portatili consecra
tus sit longitudinis vnus palmi ad minus, & lati
tudinis medij palmi ad minus, hoc est tantæ quâ
titatis, quod possit cõmodè de super poni calix,
& hostia distantia competenti. Quod si lapis ipse
illius quantitatis non est, nullatenus celebret su
per eo. Conspiciet etiam tobalias, siue mappas su
per altari positas, quæ debent esse tres; & si qua de
ſit, faciat eam apportari, & super altari extendi.

¶ De horis, confessione, & ora tione ante missam.

Sacerdos missam celebraturus in primis dicat
deuotè matutinas ad minus. Laudabile autè
erit dicere etiam primam. Si autem in pecca
to mortali se constitutum cognouerit coram alio
sacer

facerdote, absoluendi eum iurisdictionem, seu potestatem habent, genuflexus capite discooperato, confiteatur eidem cooperto capite in conuenienti loco sedenti omnia peccata sua: & ab eodem absolutionem, & pænitentiam salutarem pro commissis criminibus recipiat. Deinde si voluerit poterit pro deuotione dicere aliquas orationes.

*De preparatione aliquorum
ante missam.*

Accipiat Sacerdos missale, perquirat, & perleget missam: & ad commemorationes, & alia, quæ est dicturus, ordinet signa; ne in missa audientibus sit tædiosus: sibiq; provideat de ministro, qui ei in receptione paramentorum Sacerdotalium, & missa seruiat: ac vbi opus fuerit respondeat: nisi prius talem habeat: vel sit in ecclesia ad hoc aliquis specialiter deputatus, vel ordinatus. Deinde lauet manus in loco ad hoc ordinato, vel si non est locus deputatus, ministro detecto capite ampulla aquæ dextra manu tenente, & aquam fundente, & sinistra peluim submittente. Quod si non est peluis, apponat sinistram manū pediampullæ, quam dextra manu retinet, vt amba

ORDO

bus nudis manibus seruiat: quod etiam in alia lo-
tione obseruet. Similiter sumpto per celebratē
sacramento, cum eidem pro purificatione, & ablu-
tione vinum fundit in calice nudis manibus, de-
tecto capite (vt præmittitur) id faciat. Lotis mani-
bus sacerdos abstergat eas mappula ad hoc ibi or-
dinata. Antequam autem manus lauet, vel, cum
eas lauat, dicat secretè.

¶ **Da domine virtutē manibus meis ad abstergen-
dam omnem maculam immundā, vt sine pollutio-
ne mentis, & corporis valeam tibi seruire. Amen.**

¶ Deinde induatur paramētis sacerdotalibus in
sacristia, vel ante altare vbi est celebraturus, vel
alio loco ad hoc ordinato. Si autem induitur an-
te altare in quo est celebraturus, antequam ascen-
dat ad ipsum altare, genuflectat in eius infimo
gradu, & detecto capite iunctis manibus ante pe-
ctus, extensis, & iunctis digitis, ita quod summi-
tas digitorum, humeros non transcendat, posito
pollice dextro super sinistrum, in modum Crucis
(quod in omni iunctione manuum ante pectus
obseruatur (vel si paramenta accepit in sacristia,
vel alibi, antequam ascendat ad altare, genuflexo
coram eo (vt dictum est) secretè dicat:

¶ **Introibo in domum tuam, in holocaustis reddā
tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.**

De iun-
ctiōema
nuū an-
te pect⁹

De

*De vestibus, & modo
vestiendi.*

Sumat autem vestimenta sacra hoc modo: Pri-
mum, supra vestes cōmunes siue quotidianas,
quibus cōmuniter vtitur (quarum exterior de-
bet saltē talū pedis, siue collum attingere) & super
rochetum (si est prælatus secularis) vel super su-
perpellitium, si est religiosus, qui rochetto nō vta-
tur, aut alius sacerdos: etsi superpellitiū cōmodē
possit haberi: aliōquin etiam sine eo, calciatus pe-
dibus, paramentis sacerdotalibus se induat, dicēs
ad singula singulas orationes sequentes, antequā
paramenta ipsā accipiat. In primis accipiat ami-
ctum, circa extremitates, & cordulas, hinc, & inde,
quem in medio de osculatur, & ponit super ca-
put, & mox declinet ad collum, & circūm circā ve-
stium collata tegat. Deinde ducat cōrdulam à sini-
stro latere pendentem sub brachium dextrum, &
aliam à dextro latere pendentem sub brachium
sinistrum per dorsum circumducens, ad ventrem
reducat, & liget prius dicens:

**¶ Impone domine, capiti meo galeam salutis ad
expugnandos diabolicos incursus. Amen.**

**¶ Tum alba induatur, manicam dextram brachio
dextro, deinde sinistrā brachio sinistro imponēs,**

A 3 atque

O R D O

atque ipsam albam corpori adaptans, prius dicēs:
¶ *De alba me, domine, & munda cor meum, vt in sanguine agni de albus gaudijs perfruat sempiternis. / men.*

De cingulo. ¶ Eleuet ante, & à lateribus hinc, & inde albam, ac cingulo sibi per ministrum à tergo porrecto se cingat dicens:

¶ *Præcinge me, domine, cingulo puritatis, & exingue in lumbis meis humorem libidinis, vt maneat in me virtus continentia, & castitatis. Amē.*

¶ Minister eleuet albam supra cingulum circum, vt honestè dependeat, & tegat vestes: & eius fimbrias diligenter aptet, vt ad latitudinem digiti, vel circà supra terram æqualiter fluant.

¶ Sacerdos deinde accipiat manipulū in brachiū dextrum dicens:

De manipulo. ¶ *Merear, domine, portare manipulum fletus, & doloris, vt cum exultatione recipiam mercedem laboris. / men.*

De stola. ¶ Stolam ambabus manibus accipiens, eamq; de osculās in medio imponat: & mediam eius collo: & transuersando eam ante pectus in modum crucis, ducat partem à sinistro humero pendentē ad dextram: & partem à dextro humero pendentem ad

ad sinistram: sicq; vtramq; partē stolæ extremitatibus cinguli hinc inde ipsi cingulo cōiungat: aduertens tamen ne stola aliquo modo tangat ceruicem, sed tantum amictum dicens:

¶ **Redde mihi, domine, obsecro stolam immortalitatis, quam perdi in præuaricatione primi parentis: & quamuis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum. Amen.**

¶ Suprascriptæ orationes, non ex præcepto, sed ex deuotione dicuntur. Poterit etiam sacerdos his orationibus dimissis, dum se parat, dicere psalmum: **Miserere mei Deus**, vsq; ad finem, cum **Gloria Patri, & filio**, aut aliū psalmum conuenientem.

¶ Minister autem postquam sacerdos accepit stolam, sumat candelas, ampullas vini, & aquæ, & manustergium, & peluim, & tintinabulū, & discoperto capite accedens ad altare accendat ibi candelas: & ampullas, & cætera reponat in suis locis: & reuertatur, vt comitetur sacerdotē: qui omnibus paramētis indutus, si illis in sacristia, vel alio loco ab altari, in quo est celebraturus, distanti indutus est, accipiat manu sinistra calicē cum patēna, & purificatorio, & hostia, vel hostijs super patenā. Calix autem, & patena sint de auro, vel argento: nec

debent esse rupta, ita quòd amiserint formam. Et desuper ponat bursam cū corporall, & palla (quæ debent esse de puro pano lineo, non de panno inuncto, aut Serico): Et Bursam ipsam coopertam, velo mundo, manu dextra tenens, nè cadat, cooperato capite accedat ad altare, ministro cum missali ipsum præcedente: vbi ante infimum gradū stās sacerdos, dās Pileum ministro, caput altari imagini crucifixi desuper positæ profundè inclinans debitam ei reuerentiam facit. Et ibi ante infimum gradum altaris iunctis manibus antepectus detectō capite incipiat.

*De celebratione
ante Episcopum.*

SI est celebraturus coram Summo Pōtifice, aut Cardinale, vel Patriarcha, Archiepiscopo, vel Episcopo, in eorum residentijs, vel loco iurisdictionis eorum, post inclinationem ad altare, cōuersus ad aliquem ex prædictis, coram quo est celebraturus, faciat ei reuerentiam conuenientem, & mox ad altare se conuertat.

¶ Si autem non est coram aliquo præmissorū celebraturus, quam primum ad infimum gradū altaris

taris accesserit, conuersus ad ipsum altare, & ibi
stans producat manu dextra à fronte ad pectus
signum Crucis sinistram ponens infra pectus.

*De modo bene
dicendi.*

IN benedictionibus, quæ fiunt in altari, ponat
sacerdos sinistram manū super altare: vel si ma-
nica albæ eum impedit, retineat manu sinistra
manicam brachij dextri.

¶ Cum sibi sacerdos benedicit, vertat ad se palmā
manus dextræ, & omnibus illius digitis iūctis, &
extensis, à fronte (quam tangat) ad pectus: & ab hu-
mero sinistro, ad humerum dextrum signum Cru-
cis formet. Si vero alijs, vel rem aliquam benedi-
cit, paruum digitum vertat ei cui benedicit, atque
totam manum dextram extendat, omnibus illius
digitis pariter iunctis, & extensis, quod in omni
benedictione obseruatur.

Principium missæ.

SAcerdos benedicēs se, dicat voce intelligibili:
In nomine Patris, & filij, & Spūs Sancti. Amē.

¶ Et postquā id dixerit, non debet aduertere quē-

cumq; in alio altari celebrantem, etiam si sacramentum eleuet: sed continuatè, prosequatur missam suam vsque in finem.

¶ Iungat deinde manus antepectus: dicens simili voce:

S. Introibo ad altare Dei.

Minister ad eius sinistram (aliquantulum tamen retro) genu flexus respondeat:

M. Ad Deum qui lætificat iuuentutem meam.

¶ Quando genu flectendum, stantem aut sedendum, in missa.

Qui inter sunt missæ quæ legitur genu flectere debent à principio vsq; ad benedictionem post eius finem per celebrantem datam, excepto cum Euangeliū legitur, ad quod stare debet attentus. In missa vero quæ cantatur, si est de dominica, vel de festo, aut de feria inter pascha, & festum sanctæ Trinitatis, genu flectunt ad confessionem: quæ finita, stent vsq; ad adorationem Sacramenti, cum celebrans illud ostendit populo adorandum: quæ adoratione facta, surgant stantes vsq; ad finem missæ. Si autem missa ipsa cantatur pro defunctis, vel de feria, extra tempus paschale prædictum genu flectant

flectant vsq; ad finē confessionis, & ad orationes ante epistolā, & in quadragesima, ad vltimum versum tractus: **Domine non secundum peccata.** à dicto per celebrantē: **Sanctus,** quousque missa cōpleatur. Ad omnes alias partes eiusdē missæ stare debent, nisi esset locus cōueniens sedendi, & tūc possent sedere in missa, quę cātatur, à dicto: **Kyrie eléison,** per celebrantē vsq; ad: **Gloria in excelsis.** Et ab illo per eundē dicto, vsq; ad: **Dominus vobiscum,** ante orationes, & ad epistolā, & quousq; dicatur: **Dominus vobiscum,** pro euangelio, à dicto: **Credo in vnū,** per celebrantē, quousq; dicat: **Dominus vobiscū,** ante offertoriū, & à dicto per eundē offertorio, quousq; incipiat præfationē. Et à purificatione celebrantis, quousq; dicat: **Dominus vobiscū,** ante & post cōmuniones. Ad verba autē: **& incarnatus est,** vsq;: Et homo factus est, inclusiue: in **Credo in vnū Deū,** Et in Euangelio Ioānis: **& verbū caro factū est,** Et in Euāgelio Mathei, qđ in epiphania dñi habetur: **& procidentes adorauerūt eu.** in omni missa, qua dicuntur, genu flectitur. Nec debet alia officia, vel alias orationes dicere, etiā si celebrantē vel latinū nō intelligat: sed deuotē attendere celebrantē, & intētione suā dirigere ad ea, qđ dicit, & facit celebrās, & animo simul cū co offerre, supplicare, & orare, qđ ipse celebrās offert, suppli-

ORDO

supplicat, & orat, excepto tempore ad orationis sacramenti, & infra canonem, dum celebrans, secrete orat: quo tempore licet specialiter orare, & se, & quos quis voluerit Deo commendare.

Celebrans prosequitur:

Sacerdos. *Iudica me Deus, & discerne causam meam, de gente non sancta, ab homine iniquo, & doloso erue me.*

Minister. *Quia tu es Deus fortitudo mea, quare me repulisti, quare tristis incedo dum affligit me inimicus.*

S. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.*

M. *Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui latificat iuventutem meam.*

S. *Confitebor tibi in cythara Deus, Deus meus, quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?*

M. *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus.*

Celebrans inclinatur caput Deo, dicens:

Gloria Patri, &c. M. *Sicut erat in principio, &c.*

S. *Introibo ad altare Dei.*

M. *Ad Deum qui latificat iuventutem meam.*

Celebrans manu dextra, producit à fronte ad pedus signum Crucis dicens:

S.

S. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.*

M. *Qui fecit coelum & terram.*

• Celebrans caput humiliter Deo inclinatur dicens:

Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ
semper virgini, beato Michaeli Archangelo,
beato Ioanni Baptista, sanctis Apostolis Pe-
tro, & Paulo, omnibus sanctis, & vobis fratres:
quia peccavi nimis, cogitatione, verbo, & opere,
manu dextra percutit pectus suum, interim di-
cens: Mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa.
Ideo precor beatam Mariam semper virginem,
beatum Michaelem Archangelum, beatum Ioan-
nem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum, & Pau-
lum, omnes sanctos, & vos fratres orate pro me
ad dominum Deum nostrum.

¶ *De confessione coram Episcopo, &c.*

¶ Si est coram Summo Pontifice, aut Cardinale
in ecclesia, vel loco sui tituli, seu Cardinalatus,
aut Legato sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Ar-
chiepiscopo, seu Episcopo, in eorum prouincia,
Ciuitate, vel Diœcesi constitutis (non aliàs) stat
coram altare remotius aliquantulū versus ipsum
Summum Pontificem, Cardinalem, Legatum, vel
Patriarcham, Archiepiscopum, vel Episcopum: &
omissa confessione prædicta, dicit sequentem:

Con-

ORDO

¶ Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper virgini, beato Michaeli Archangelo; beato Ioanni Baptistæ, sanctis Apostolis Petro, & Paulo, omnibus sanctis, & vobis pater, & fratres, quia peccavi nimis cogitatione, verbo, & opere. (manu dextra percutit pectus suum interim dicens) **Mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper virginem, beatum Michaellem Archangelum, beatum Ioannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum, & Paulum, omnes sanctos: & vos pater, & fratres orare pro me ad dominum Deum nostrum.**

¶ Summus Pontifex, Cardinalis, Legatus, Patriarcha, Archiepiscopus, vel Episcopus, ac minister, & qui inter sunt, genuflexi dicunt:

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis, perducatur te ad vitam eternam. S. Amē.

¶ Subsequenter dicunt iidem genuflexi (celebrante interim se erigente.)

¶ Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Ioanni Baptistæ, sanctis Apostolis Petro, & Paulo, omnibus sanctis, & tibi pater, quia peccavi nimis, cogitatione, verbo & opere, (manu dextra percutiunt pectus suum, interim dicentes) **Mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam**

beatam Mariam semper virginem, beatum Michaellem Archangelum, beatum Ioannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum, & Paulum, omnes sanctos, & te pater orate pro me ad dominum Deum nostrum.

S. Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimissis peccatis vestris perducatur vos ad vitam eternam.

M. Amen.

¶ Celebrans, producens manu dextra a fronte ad pectus signum Crucis, dicit: **Indulgentiam, abolitionem, & remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens, & misericors dominus.**

M. Amen.

Celebrans stans capite inclinato, dicit:

Deus tu conuersus vivificabis nos.

M. Et plebs tua letabitur in te.

S. Ostende nobis domine misericordiam tuam.

M. Et salutare tuum da nobis.

S. Domine exaudi orationem meam.

M. Et clamor meus ad te veniat.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo. **S.** Oremus. (Et dicit secrete:)

Aufer a nobis quesumus dñe cunctas iniquitates nostras, vt ad sancta sanctorum mereamur puris

mentis

ORDO

mentibus introire, per Christū dominū nostrum.

¶ De dicendis voce alta aut secretè.

PRædicta omnia celebranti ordinata (excepto: **Aufer à nobis**) dici debent per eum intelligibili voce, ita quod ab interessentibus missæ intelligibiter audiantur. Similiter, & introitus cum suo Psalmo, & Gloria Patri. Kyrie eleis. **Gloria in excelsis Deo. Dominus vobiscum, Oremus, Flectamus genua, leuate, Orationes, Prophetia, Epistola, Graduales, Haleluiah, cum suis versibus, Tractus cum suis versibus, Euangeliū, Credo. Dominus vobiscum, Offerto. Orate fratres, Per omnia secula seculorum, &c. Præfatio Sanctus. Nobis quoque peccatoribus, Per omnia secula seculorum, Pax Domini. Agnus Dei. Pax tecum, Domine non sum dignus. Communio, Dominus vobiscum, Oremus. Post communionem. Humiliate capita vestra Deo, Dominus vobiscum, Ite missa est, Benedicamus Domino, Requiescāt in pace, Benedicat vos, dicantur alta voce.**

¶ Omnia alia, quæ in missa dicuntur, dici debent secretè: ita quod à circumstantibus seu interessentibus Missæ non audiantur.

¶ Dicto, **Aufer à nobis**, celebrans ascendit ad medium altaris: & coram eo stās capite inclinato: manibus

nibus iunctis super altare positis, posito pollice dextro super sinistrum (quæ ita super altare ponuntur: quod digiti parui duntaxat frontem, seu medium anterioris partis tabulæ, seu mensæ altaris tangant, residuo manuû inter altare, & se retento: quod semper obseruatur cum manus iunctæ super altare ponuntur) secrete dicit: ¶ **Oramus te domine, vt per merita sanctorum tuorum, quorû reliquæ hic sunt, & omnium sanctorum indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.** ¶ Osculatur altare in medio manibus extensis hinc & inde super altare positis (quod in omni deosculatione altaris ante consecrationem sacramenti obseruatur: similiter & post consecrationem eiusdem: solo demto, quod pollices ab indicibus propterea tunc non disiungantur) accedit ad cornu sinistrû altaris, videlicet Epistolæ: vbi stans versus altare, producens manu dextra à fronte ad pectus signum Crucis, iunctis manibus supra librum positis, ex libro vel missali ibidem existente (qui recte inter anteriorem, & posteriorem partem altaris ponidebet) dicit intelligibili voce. Introitum missæ cum Psalmo, & Gloria patri, si est dicendum. Deinde repetit introitum. Si vero legit pro defunctis, vel alias. **Gloria patri.** non sit dicendum post Psalmum, omisso **Gloria patri.**

De positione manuum super altare.

De osculo altaris.

repetit introitum. Postea manibus ante pectus iunctis accedit ad medium altaris: vbi stans versus illud manibus (vt supra) iunctis, dicit simili voce:

S. Kyrie eléison.

M. Kyrie eléison.

S. Kyrie eléison.

M. Christè eléison.

S. Christè eléison.

M. Christè eléison.

S. Kyrie eléison.

M. Kyrie eléison.

S. Kyrie eléison.

¶ Si minister vel intereffentes celebrāti non respōdet, celebrās ipse solus omnia dicit. Tū in eodem loco stās manibus iunctis ante pectus, voce prādicta, dicit: (si sit dicendū) **Gloria in excelsis Deo:**

¶ Quod dicēdo, continuo manus extēdit, & iterum iungit ante pectus, & caput Deo inclināt.

¶ Quo ibidē per ipsum dicto, iūctis manibus, vt prius, in eodē loco, ac eodē modo stās psequitur:

Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Laudamus te.

Benedicimus te.

Adoramus te. (Caput Deo inclināt.)

Glo

Glificamus te.

Gracias agimus tibi. (quod dicendo caput Deo
inclinat.) propter magnam gloriam tuam.

Dñe Deus rex caelestis, Deus pater omnipotens.

Domine fili vnigenite Iesu Christe. (Deo caput in
clinat.) Spiritus & alme orphanorum paraclète.

Domine Deus Agnus Dei filius patris. Primogni-
tus Mariæ virginis matris.

Qui tollis peccata mundi miserere nobis.

Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationē
nostram, (quod dicendo caput Deo inclinat.) Ad

Mariæ gloriam.

Qui sedes ad dexteram patris, miserere nobis.

Quoniam tu solus sanctus. Mariam sanctificans.

Tu solus Dominus, Mariam gubernans.

Tu solus altissimus, Mariā coronās Iesu Christe.

(Caput Deo inclinat.) Cū sancto spiritu (quod
dicendo se ipsum signat manu dextra signo Cru-

cis à fronte ad pectus interim perficiens. (In glo-
ria Dei patris. Amen.

¶ Nota quod textus in nigro positus dicitur tan-
tum in missis beatæ Mariæ virginis tam festiuis,

& eorum octauis, si infra ipsam octauam de domi-
nica, vel aliquo alio festo agatur, quā votiuis eius.

dem, ex consuetudine tantum.

¶ In quibusuis missis votiuis quocunque tempo

Quādo
dicitur
Gloria
in excel-
sis Deo.

re regulariter non dicitur: **Gloria in excelsis Deo**,
 exceptis votiuis beatę Marię virginis, & angelorū,
 pro eo quod angeli hunc hymnum primitus de-
 cantarunt. Si infra hebdomadam in aduentu dici-
 tur officium missę dominicę, non dicitur in ea,
Gloria in excelsis Deo: nec in missis defunctorū
 quocunq; tempore: nec in missis de tempore à do-
 minica. lxx. inclusiue, vsq; ad feriam quintam in
 cæna domini exclusiue. Dicitur autē quando ex-
 tra aduentum infra hebdomadam, missa domini-
 cę præteritę celebratur. Dicitur etiam: **Gloria**
in excelsis Deo, in missis officij singulorum die-
 rum, in quo dictum est in matutinis: Te Deum
 laudamus, & non aliàs, nisi feria quinta (quæ Cæ-
 na domini appellatur) & sabbatho sancto: In qui-
 bus etiam **Gloria**. in missa dicitur, licet in matu-
 tinis: **Te Deum laudamus** non habeatur.

¶ Completo, **Gloria in excelsis**, vel, si non sit dicē-
 dū, illo omisso, si legēda est prophetia, dicto **Kyrie**
eléison, celebrans reuertitur ad cornu Epistolę,
 vbi stans ante librum extendit, & iungit manus
 ante pectus, dicens eadem voce: **Gremus**.

¶ **De Flectamus genua.**

¶ Tū iunctis manibus subiungit simili voce: **Fle-**
ctamus

Flectamus genua. & ibidem (vt stabat) manibus extensis hinc, & inde super altare positus, vt seipsum ad altare sustineat, genua flectit (quod in omni genua flexione ante altare fieri consuevit, excepto à consecratione vsque ad abluitionem digitorum post communionem: quo tempore medios, annulares, & paruos digitos duntaxat extendit, dum ad altare se sustinens genua flectit) & sine mora dicens eadē voce: **Leuate,** Surgit. Et stans ibidem manibus extensis ante pectus intelligibili voce dicit orationem ordinatā in missali cum sua conclusione, ad quam conclusionem iungit manus, & orationem perficit.

Degenu
flexione
ad altare

¶ Extensio autem manuum ita fit: quod vna manus aliam respicit digitis non disiunctis, quorum summitas altitudinem humerorum non transcendat, & eorum distantiam non excedat: quod in omni extensione manuum ante pectus obseruatur.

De extē
sionem
num.

¶ Deinde manibus iunctis, vel disiunctis, prout sibi magis placet, super librum, vel altare positus, legit Prophetiā, qua finita, minister dicit: **Deo gratias.** Tū celebrās stās eodē modo legit ibidē Graduale. Et si plures prophetiæ sunt dicendæ, ante singulas orationes, quæ dicuntur ante prophetias, dicit: **O remus,** **Flectamus genua Leuate,** ac minister in fine singu-

larum prophetiarum dicit : Deo gratias ; prout de prima dictum est, nisi missale aliter contineat, prout in diebus feriæ sextæ, & sabbathi maioris hebdomadæ. In vigilia autem Pentecostès, & feriæ quarta, ac sabbatho Pentecostèn immediatè sequentibus, non dicitur : Flectamus genua, prout etiam in missali ordinatur.

¶ Dicto Graduali post prophetiam, vel si non sit legenda prophetia, alijs (vt præmittitur) dictis, celebrans ante medium altaris manibus hinc, & inde de super positis, illud osculatur in medio, tum iunctis ante pectus manibus, demissis oculis ad terram, ad cornu sinistrum, hoc est ad latus dextrum sui vertit se ad populum, & dicit voce prædicta:

¶ Dominus vobiscum, quod dicendo extendit, & iungit manus antepectus digitis tamen non disiunctis: *M. Et cum spiritu tuo.*

¶ Tum iunctis (vt prius) manibus reuertitur per eandem viam ad medium altaris, & facta ibidem cruci reuerentia, accedit ad librum, & dicit simili voce: Oremus, quod dicendo extendit, & iungit manibus ante pectus, & caput Deo inclinat. Tum exrens manibus ante pectus, eadem voce, dicit ibidem orationem missæ conuenientem vsq; ad, Per dominum nostrum, vel aliam conclusionem: quã

conclusionem dicendo iungit manus ante pectus,
& sic tenet eas vsque ad finem orationis, quam
cum sua conclusione ante librum perficit, dicēdo,
Iesum Christum, filium.

¶ Et quotiescunq; hoc nomen **Iesus nominat** ca-
put Deo inclinatur. Cōuenit etiam, quod cum no-
men, **Gloriosæ virginis Mariæ** nominatur, caput Inclinā-
dum ca-
put ad
nomen?
Iesus, &
Maria.
ei inclinatur.

¶ Et si sunt plures orationes dicendæ, idem in eis
in voce, extensione, & iunctionem anuum, & ca-
pitis inclinatione, quod supradictum est, obserua-
tur: sed ante primam tantum orationem ex pluri-
bus huiusmodi dicitur: **Oremus,** & sub conclu-
sione vltimæ orationis omnes terminantur.

¶ Aduertendum, quod si altare est versum ad po-
pulum, & in eo celebrans stat facie ad populum
versa, non se vertit, cum dicturus est: **Dominus**
vobiscum, ante orationem, sed osculato altari stās
ad populum versus, vt erat, dicit: **Dominus vo-**
biscum. Idem obseruatur ad monitione: **Orate**
fratres, Dominus vobiscum, ante Offertorium,
ac ante, & post communionem, **Ite missa est,** &
Benedictionem populi, si est danda.

¶ Cum autem in alio altari celebrans se vertit ad
populum bis tātum, videlicet ad **Orate fratres,** &
cum in fine populo benedicit, circulum perficit:

ORDO

alijs vicibus semicirculo facto ad eandem manum, ad quam se populo verterat, ad medium altaris se conuertit.

¶ De orationibus.

Sciendum, quod Ecclesia Romana in festis duplicibus vna tantum oratione vtitur: nisi festū ipsum extra aduentum, & quadragesimam in dominica venerit: cuius officium non possit in alium diem illius hebdomadæ transferri, & de qua sit commemoratio facienda: & tunc oratione festi sub sua conclusione dicta: dicitur alia de ipsa dominica tantum, etiam sub conclusione, nisi sit infra aliquam octauam de qua sit agenda commemoratio, tunc cōmemoratio dominicæ subiūgitur cōmemorationi octauæ, & sub conclusione orationis Dominicæ, ambæ ipsæ orationes concludantur. Si vero in aduentu, vel quadragesima huiusmodi festū in dominica venerit, festū ipsum transfertur in diem sequentē, in qua similiter, & quocunq; die tūc huiusmodi festum venerit, dicta oratiōe festi sub sua cōclutione, dicitur alia oratio de feria, siue de tēpore, etiā sub sua cōclutione: nisi sit infra octauam de qua venit commemoratio habēda, quia tūc dicta oratione de festo huiusmodi sub sua cōclutione, subiūgitur oratio octauæ, quā sequitur oratio de feria, siue de tēpore, sub cuius cōclutione

clusione ambæ terminantur. Nec vnquam cum prima oratione missæ concluditur secunda oratio: nisi in collatione ordinum, consecratione Episcoporum, virginum, ecclesiarum & altarium & benedictione Abbatum, Abbatissarum, & cæmiterij benedictione, & consecratione Regum, & Reginarum.

¶ In dominicis vero, & alijs festiuis, ac feriatis diebus, etiam in aduentu, & in quadragesima tres orationes dicuntur: excepto festo sanctorum Innocentium, & ipsum sequentibus diebus vsque ad diem sancti Syluestri inclusiue, & alijs diebus, quibus in missali commemorationes habendæ specificantur: in quibus dicuntur orationes ibidem ordinatæ. Et si de sanctis orationes huiusmodi sunt dicendæ, debet post primam orationem in alijs ordo litaniarum obseruari, scilicet de sancta Trinitate, vel de sancto Spiritu, aut de sancta Cruce, seu de beata Virgine: si de eorum altero commemoratio veniat agenda, sit prima: sequatur de apostolis: deinde de Martyribus, Confessoribus, virginibus respectiue, & sic de alijs, de quibus erit agendum, nisi effect infra aliquam octauam: quia tunc oratio de octaua haberet primum locum post primam orationem: extra tamen diem dominicam. Si vero orationes de pace, contra Paganos, pro Papa, pro bene

factoribus, pro se ipso, vel similes celebrans sit dic-
 eturus (quibus omnibus orationes de sanctis sunt
 proponendæ) vtatur discretione huiusmodi: præ-
 ponendo, & postponendo orationes, prout ma-
 gis conueniat.

¶ Non tamen licet sacerdoti coram prælato suo,
 aut Principe, vel domino temporali celebrati ora-
 tionem pro se ipso dicere.

¶ Si. iij. feria, vel sabbato quorūcunq; quatuor
 temporum, aut alia quacunq; die, qua in missa an-
 te epistolam habetur prophetia, dicitur in missa
 de aliquo sancto, vel votiua, aut alia, in qua ferie
 huiusmodi currentis commemoratio sit faciēda,
 prima oratio, quæ post introitum missæ illius fe-
 riæ posita est, dicitur pro eiusdem feriæ comme-
 moratione.

¶ In ecclesijs, in quibus sunt plures beneficiati, si in
 quadragesima, aut dominicis, vel alijs diebus, in
 quibus habetur propria missa, quæ non potest in
 alium diem transferri, dicenda sit missa de festo
 current, vnus sacerdotum eorundem dicit missam
 de Dominica, vel de feria, seu aliam propriam il-
 lius diei ordine solito: alius de festo absq; alterius
 commemoratione.

¶ **Regula generalis.**

Generaliter in omni missa conuentuali obseruetur, quòd dicatur de festo aut tempore de quo horæ canonicæ dicuntur, & cum eisdè commemorationis: nisi aliter in missali ordinatum fuerit.

De Missis votiuis.

In missa votiua, dicta oratione ordinaria sub cõclusionè sua, subiungi potest alia de feria, aut de festo, vel de sanctis, de quibus illa de agitur, & eidem addi alia ipsi missæ conueniens, vel conueniẽter omnes commemorationes prætermitti. Si non celebrat pro defunctis, sed velit pro defuncto, vel pro pluribus orare, ponit orationẽ ipsam pro defunctis huiusmodi ante vltimam, ita quòd oratio pro defunctis non concludat, sed sub vltimæ orationis cõclusionè concludatur. Si vero celebrat pro defunctis in die exequiarum, vna tantum oratio dici consuevit. In tertio autem. vij. xxx. & anniuersario diebus, ac alijs missis pro defunctis, prima oratione sub sua cõclusionè terminata, possunt aliæ duæ orationes addi pro defunctis, quæ sub vltima cõclusionè terminantur: & conuenit, quod ipsa vltima oratio huiusmodi sit generalis pro omnibus fidelibus defunctis, videlicet: **Fidelium D E V S omnium conditor.** In ipsa quoque missa defunctorum, oratio de san-

ORDO

sanctis, vel de feria, aut alia quàm pro defunctis dici non debet. Finitis orationibus, celebrans, positus super librum, vel altare manibus iunctis, vel disiunctis, prout sibi magis placet, dicit eadem voce intelligibili Epistolam ibidem, cuius ultimam syllabam aliquantulum prótrahit, qua dicta minister, dicit: Deo gratias.

¶ De Graduali Alleluia. Tractu.

T Vm eodem modo stās celebrans dicit simili voce, vel paululū mutata Graduale, & **Alleluia**, cum suo versu, ac prosam, vel sequentiā, si habetur, aut omisissis **Alleluia** cum suo versu, & prosa, vel sequentia, si missæ aut tempori non cōueniat, vel non habeatur, dicit Tractum si sit dicendus. Nam **Alleluia** non dicitur in missis pro defunctis, & à Dominica Septuagesimæ inclusiuè vsque ad vigiliam Paschæ exclusiuè, & in quatuor temporibus Aduentus, & mensis Septembris, & omnibus vigilijs totius anni, in quibus est indictū ieiuniū, exceptis vigilijs Paschæ, Pentecostès, & Natiuitatis Christi, si venerit i Dominica ac festo Innocentiū, si venerit, in Dominica, in quibus tunc dicitur **Alleluia**.

¶ Si autem in diebus huiusmodi, in quibus **Alleluia**, non dicitur, dicenda est aliqua missa votiuā vel alia, in qua Tractus nō habeatur, poterit post Graduale

duale, cum suo versu loco Tractus omisso Alleluia, dici eius versus, vel etiam eo omisso dicto Graduale, cum suo versu, dici: **Munda cor meum,** & alia prout habetur infra.

¶ In dicendo autem Alleluia hic modus seruatur: ante versum bis Alleluia dicitur, & post versum semel replicatur. Ab octaua vero Paschæ vsq; ad octauam Pétecostès, quo tempore Graduale non dicitur, sed illius loco secundum Alleluia primo iungitur: ante versum primi bis Alleluia dicitur, & post versum semel. Similiter & post secundi versum Alleluia semel replicatur.

¶ Quocunq; autem tempore prosa, seu sequentia est dicenda, illa post versum dicitur, antequam Alleluia replicetur: quod post dictam prosam, seu sequentiam huiusmodi repetitur.

¶ Etsi extra tempus Paschale in quocunq; festo, prout in festis Purificationis, & Natiuitatis beatæ Mariæ virginis, sancti Ioannis Baptistæ: Ludouici episcopi, & confess. Exaltationis sanctæ Crucis: sancti Francisci: omnium sanctorum: & alijs quibuscunq; diebus, duo Alleluia cū duobus versibus, vel prout in festo Dedicationis sancti Michaelis Archangeli tria Alleluia cum tribus versibus habeant.

habeantur, dicitur tantum vnum ex eis cum suo versu prima die festi, alia vero die, siue vice omisso dicto, poterit dici aliud cum suo versu. Et vbi tria habentur cū tribus versibus: alia die, vel vice poterit dici tertium cū suo versu, omisis prius dictis. Si vero habeantur duo versus sub vno Alleluia, ambo versus huiusmodi dicuntur absque intermissione sub eodem Alleluia seruato alias in omnibus modo supra dicto.

¶ Quibus dictis minister (seu celebrans ipse) portat missale ad corun dextrum altaris, videlicet Euāgelij, si altare ipsum non sit magnæ longitudinis: sin autem, ponit missale inter ipsum cornu dextrum, & medium altaris, vt celebrans in medio altaris stans possit omnia dicenda ex eo commode dicere, missale autē ita locat, quod caput missalis respiciat ipsum cornu altaris in parte prædicta, & non parietem, siue ad partem eius contra se directam.

¶ Tum celebrans stans in medio altaris versus ad illud, leuatis ad Deum oculis, iunctis manibus ante pectus, secreta dicit:

¶ **Munda cor meū & labia mea omnipotēs Deus, qui labia Isaiæ prophete calculo mundasti ignito, ita me tua grata miseratione dignare mundare,**

ut sanctum Euangelium tuum digne valcam nã
tiare. Per Christum.

¶ Tum similiter stans, dicit eodem modo:

¶ Dominus sit in corde, & in labijs meis, ut di-
gne, & competenter annuntiem Euangelium
suum. Amen.

¶ De Euangelio.

His dictis, vertit se ad missale (ut præmitti-
tur) positum: ubi sic stans iunctis manibus
ante pectus, dicit intelligibili voce:

¶ Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

¶ Deinde pollice dextræ manus signat primo li-
brum super principium Euangelij, quod est di-
cturus, postea seipsum in fronte, ore, & pectore
signo Crucis, dicens eadem voce:

¶ *Sequentia sancti Euangelij secundum N. vel
si est dicendum. Initium sancti Euangelij, secun-
dum N.*

M. Gloria tibi Domine.

¶ Tum iunctis iterum (ut prius) manibus stans
versus (ut supra) prosequitur Euangelium voce
prædicta vsque ad finem, & eius vltimam syllabã
aliquantulũ protrahit, quo cõpleto minister dicit:
Laus tibi Christe.

¶ Celebrans osculatur Euangeliũ per eũ dictũ
in

in eius principio, nisi celebret pro defunctis (quia tunc non osculatur Euang. (vel celebret corā summo Pontifice, aut Cardinale, Patriarcha, Archiepiscopo, vel Episcopo, cui liber, & textus Euangelij portatur per eum osculandus: quo casu celebrans Euangelium ipsum etiam non osculatur.

¶ Tum stans in medio altaris versus ad ipsum altare manibus iunctis ante pectus, & aliquantulū eleuatis, intelligibili voce, dicit, si est dicendum. **Credo in vnum Deum**, quod dicendo extendit, & iterum iungit manus, & stans manibus iunctis ante pectus, in eodem loco prosequitur vsq: ad finem eadem voce: **Patrem omnipotentem: factorem cæli & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium. Et in vnum dominum Iesum Christum. Caput Deo inclinat, filium Dei vnigenitum: Et ex patre natum ante omnia secula, Deū de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, Genitum non factū consubstantialem Patri, per quē omnia facta sunt: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis. In eodem loco vbi stabat genuflectit corā altari dicens: & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria virgine. Et homo factus est. Surgit, & in eadem voce prosequitur: **Crucifixus etiam pro nobis sub**
Pontio**

Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in cælum, sedet ad dexteram patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos, & mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum dominum, & uiificantem, qui ex patre, filioque procedit, qui cum patre, & filio simul adoratur, & cōglorificatur, qui locutus est per prophetas. Et vnā sanctam catholicam, & apostolicam Ecclesiā. Cōfiteor vnā baptismā in remissionem peccatorū. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et uitā venturi sæculi. Amen.

¶ Et, dum hæc vltima verba profert, producit manū dextra signum Crucis à fronte ad pectus.

¶ **De Credo quo tempore dicendum.**

Credo autem dicitur omnibus diebus dominicis totius anni, etiam si de festo missa celebratur, vel octaua, in qua alias Credo non esset dicendum, aut votiua dicatur, in qua tantum de dominica commemoratio habeatur. Item ad missam noctis, & ambas alias missas diei natiuitatis domini nostri Iesu Christi, & sex diebus sequentibus. In circuncisione domini. In octaua sancti Stephani, quia infra octauam sancti Ioannis Euangelistæ. In octaua eiusdem sancti Ioannis Euangelistæ. In Epiphania domini, & per octauā eius.

Inconuersione sancti Pauli Apostoli. In omnibus festiuitatibus gloriosissimæ virginis Mariæ, & per earum octauas, quæ habentur. In cathedra S. Petri. Fer. v. Cœcæ domini. In festo resurrectionis domini, & sex diebus sequentibus. In festiuitate Ascensionis domini, & per octauam. In Pentecostes, & sex diebus sequentibus. In corporis Christi, & per octauam. In sancti Ioannis ante portam latinam. In die apostolorum Petri, & Pauli, & per octauam. In octaua beati Ioannis Baptistæ. In sancti Petri ad vincula. In transfiguratione Domini. In octaua sancti Laurentij. In inuentionis, & exaltationis sanctæ Crucis. In angelorū. In omnium sanctorum, & per eius octauam: ac singulorum Apostolorum, Euangelistarum, ac quatuor Doctorum festiuitatibus. In omnibus consecrationibus ecclesiarum, altarium, & Pontificum, & in singulis ecclesijs, in festo illius sancti, vel sanctæ, in cuius honorem ecclesia ipsi, vel altare specialiter sunt consecrata, etiam si in ipsius festo alias dicere non liceret, ac per octauam eiusdem festi, & anniuersarijs dedicationum ecclesiarum, vel altarium, & eorum octauis, si eas habent. Dicitur quoque infra singulas octauas supra scriptas **Credo**, etiam si non de ipsa octaua, sed de quocunque alio festo tunc currenti, missa celebretur.

eur. ¶ In quibuscunque autem missis votiuis etiã
 beatæ Mariæ virginis, **Credo** non dicitur, nisi es-
 set in die dominica, vel infra aliquam octauam,
 infra quam hoc liceret dicere, quia tunc in omni
 missa votiua dicitur **Credo**, si in ipsa fit de domi-
 nica, aut de octaua huiusmodi commemoratio,
 alias non. Nec dicitur in missis defunctorũ, vel
 quibuscunq; alijs superius non specificatis.

¶ Dicto Symbolo, vel (si non sit dicendum) illo
 omisso, osculatur altare in medio, & iunctis ma-
 nibus ante pectus ibidem ad manum sinistram:
 hoc est ad latus dextrum vertit se ad populum, &
 dicit intelligibili voce: **Dominus vobiscũ**, quod
 dicens extẽdit, & iũgit manus ante pectus. **Resp.**

Et cum spiritu tuo. Iunctis manibus reuersus per
 eandem viam in medium altaris, facta reueren-
 tia Cruci, manibus (vt supra) iunctis stans ibidem
 versus ad ipsum altare, dicit voce simili, **O** remus,
 quod dicens similiter extendit, & iungit manus
 ante pectus, & caput Deo inclinat.

¶ **De Offertorio.**

T Vm iũctis (vt prius manibus) dicit eadẽ voce
 Offertorium, prout in Ordinario. Et omnia,
 quæ vsq; ad finem missæ in medio altaris dicenda
 sunt, dicit ibidẽ stans versus ad ipsum altare, & nõ

ORDO

ad aliam partem, nisi ubi infra aliter ordinatur.

¶ Dicto Offertorio, si qui sint volentes offerre, celebrans accedit ad cornu Epistolæ, ubi stans deto capite, latere suo sinistro ad altare verso, deponit manipulum de brachio sinistro, & accipiens illud in manu dextra porrigit summitatem eius singulis offerentibus osculandam, dicens singulis: **acceptabile sit sacrificium tuum omnipotenti Deo,** vel sic: **Centuplum accipias, & vitam æternam possideas.**

De hostia, & hostijs.

¶ Accepta omnium oblatione celebrans reponit manipulum in brachium sinistrum, & reuertitur ad medium altaris, vel (si non sint offerentes) stans in eodem medio altaris versus ad illud, accipiat patenam cum hostia, vel hostijs desuper posita, vel positis, si quæ sit, vel quæ sint, pro alterius, vel aliorum communione consecrandæ, dispensandæ, vel conseruandæ, illam, ambabus manibus vsque ad pectus eleuatam tenens, & si sint aliæ hostiæ non super patenam, sed super corporale, vel alio calice, seu vase ad hoc conuenienti positæ pro cõmunione populi consecrandæ, calicem illum, seu vas manu dextra discooperit, & intentionem suã dirigens illas offerre, & consecrare oculis ad Deum intentis dicit secrete:

¶ **Suscipe sancte, pater omnipotens æterne Deus**
hanc

hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus
 famulus tuus effero tibi Deo meo, viuo, & vero
 pro innumerabilibus peccatis, offensionibus, &
 negligentijs meis, & pro omnibus circumstanti-
 bus: sed & pro omnibus fidelibus Christianis vi-
 uis, ac defunctis, vt mihi, & illis proficiat ad salu-
 tem in vitam æternam. Amen.

¶ Facit signum Crucis cum patena super corpo-
 rale, & locum in quem positurus est hostiã, quam
 deinde cum patena ponit in medio, seu circa me-
 dium anterioris, siue proximioris partis corpora-
 lis ante se: & patenam ad manum dextram ali-
 quantulum subtus corporale, & calicem, seu vas
 aliarum hostiarum (si sit) sua patena coóperit.

¶ Postea accipit calicem, quem purificatorio dili-
 genter mundat, & ampullam vini de manu mini-
 stri (quam ille manu dextra nuda detecto capite
 sibi porrigit) accipiens imponit vinum in calicem
 ad sufficientiam, nihil dicens.

¶ Tunc, si non celebrat pro defunctis, facit signũ
 Crucis super ampullam aquæ, quam etiam de ma-
 nu eiusdem similiter manu dextra nuda detecto
 capite illam sibi porrigentis accipit: & ex ea impo-
 nit pusillum aquæ in calicem secreta dicens:

Deus qui humanæ substatiæ dignitatẽ mirabi-
 liter condidisti, & mirabilius reformasti: da nobis

O R D O

per huius aquæ, & vini mysterium, eius diuinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps **IESVS CHRISTVS** filius tuus dominus noster: Qui tecum uiuit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

¶ Si vero celebrat pro defunctis, non producit signum Crucis super ampullam aquæ, sed imponit absque signo huiusmodi ex ea pusillum aque in Calicem, dicens eandem orationem proximè scriptam. Imposita aqua, & finita oratione prædicta, accipit ambabus manibus Calicem discoopertum, videlicet cum sinistra pedem, cum dextra autem nodum infra cuput Calicis, & stans in medio altaris Calicem ipsum discoopertum vsque ad pectus eleuatum tenet, & intentis ad Deum oculis dicit secrete:

¶ **Offerimus tibi, domine, Calicem salutaris, tuâ deprecantes clementiam, vt in conspectu diuinæ maiestatis tuæ pro nostra, & pro totius mundi salute cum odore suauitatis ascendat. Amen.**

¶ Signat cum Calice super Corporale: & ipsum calicem in medio, seu circa medium corporalis post hostiam collocat, & palla coöperit, ac iunctis manibus super altare positis, capite inclinato, dicit secrete:

¶ In spiritu humilitatis, & animo contrito suscipi-
amur à te domine, & sic fiat sacrificiũ nostrum in
conspetu tuo hodie, vt placeat tibi, dñe Deus.
Elevat manus extensas, & iungit eas ante pectus,
secrete dicens:

¶ Veni sanctificator omnipotēs æterne Deus, &
bene **✠ dicat**: (signando manu dextra commu-
niter super hostiam, & calicem) **hoc sacrificium
tuo sancto nomini præparatum**. Tum iunctis
ante pectus manibus accedit ad cornu Epistolæ,
vbi stans, ministro aquam fundente, lauat, & ter-
git manus dicens secrete:

¶ **De lotionem manuum.**

Lauabo inter innocentes manus meas, & cir-
cundabo altare tuum domine.

¶ Vt audiam vocem laudis tuæ, & enarrē uni-
uersa mirabilia tua.

¶ Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum
habitationis gloriæ tuæ.

¶ Ne perdas cum impijs, Deus, animam meam, &
cum viris sanguinum vitam meam.

¶ In quorum manibus iniquitates sunt, dextera
eorum repleta est muneribus.

¶ Ego autem in innocentia mea ingressus sum,
redime me, & miserere mei.

¶ Pes enim meus stetit in directo, in ecclesijs be-
 nedicam te domine.

¶ Gloria Patri, & filio, & Spiritui sancto. Sicut
 erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula
 sæculorum. Amen.

¶ Lotis, & terfis manibus, & illis ante pectus iun-
 ctis ad medium altaris reuertitur: vbi stans ad
 Deum eleuatis oculis, manibus iunctis super al-
 tare positis, inclinato capite versus ad ipsum alta-
 re dicit secretè:

¶ **Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem quam
 tibi offerimus, ob memoriam passionis, resurre-
 ctionis, & ascensionis Iesu Christi domini nostri:
 & in honorem beatæ Mariæ semper virginis, &
 beati Iohannis Baptistæ, & sanctorum Apostolo-
 rum Petri, & Pauli, & istorum, & omnium san-
 ctorum: vt illis proficiat ad honorem, nobis au-
 tem ad salutem, & illi pro nobis intercedere di-
 gnentur in caelis, quorum memoriam facimus in
 terris. Per eundem CHRISTVM dominum
 nostrum. Amen.**

¶ Extēsis manibus hinc inde super altare positis,
 osculatur altare in medio: tū iūctis manibus ante
 pectus dimisis oculis ad terrā vertit se ad manum
 sinistram, hoc est, ad latus dextrum ad populū: &
 sic versus ad illum dicit voce aliquantulū eleuata:

¶ **Orate fratres** (& secrete prosequitur) **ut meum & vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deū omnipotentem.** Quod dicendo, extendit, & iungit manus ante pectus: & continuo ad altare reuertitur perficiēdo circulum inceptum. Minister vero, & alij intereffentes genuflexi delectis capitibus respondent dicentes secrete:

¶ **Suscipiat dominus sacrificium de manibus tuis, ad laudem, & gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, & totius ecclesiæ suæ sanctæ.** Quod si minister, vel alij intereffentes non responderint, celebrans ipse dicit secrete:

¶ **Suscipiat dominus sacrificiū de manibus meis, ad laudem, & gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, & totius ecclesiæ suæ sanctæ.**

¶ Tum celebrans ipse extensis manibus ante pectus stans ante librum, dicit secrete orationem secretam diei conuenientem vsque ad **Per dominū nostrum**, vel aliam conclusionem: quam dicendo iūgit manus ante pectus, & ad verba **Iesum Christum filium tuum** caput Deo inclinatur, sicq; manibus iunctis continuatur vsque ad verba, **Per omnia sæcula sæculorum** exclusiue, si vnica est secreta. **De Secretis.**

¶ Si vero plures secreta sunt dicenda, addit cōclusioni

sioni primæ etiam illa verba: **Per omnia sæcula sæculorum.** Amen. Deinde absolute subiungit alias orationes secretas prioribus orationibus conuenientes. Quia tot, ac eodem ordine dici debent secretæ, & post communionem, quot, quo ordine, & de quibus dictæ sunt ante Epistolâ orationes.

De Præfatione.

Cum peruentum fuerit in cõclusionem vltimæ secretæ ad verba: **per omnia sæcula sæculorũ** exclusiue, celebrans stans in medio altaris, de positus super eam hinc & inde manibus extensis dicit conuenienti voce, & intelligibili Præfationem sequentem, quæ communis est omnibus missis, etiam defunctorũ, nisi specialis habeatur. Et vbi specialis Præfatio habetur, illa dicitur tam in festo, quam infra eius octauam, si octauam habeat, etiam si infra ipsam octauam agatur de dominica, vel de aliquo alio festo specialem Præfationem non habente. Si vero ipsum festum, de quo infra octauam agitur habeat specialem Præfationem, illa specialis dicitur ommissa Præfatione octauæ, nisi in missali aliter ordinetur. In missa quoque votiuæ dicitur præfatio propria illius diei, vel festi, de cuius votiuæ agitur, si dies ipsa vel festum Præfationem propriam habet.

Per

S. Per omnia sæcula sæclorum.

M. Amen.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo. Manus extensas eleuet hinc & inde vsq; adpectus, dicens:

S. Sursum corda.

M. Habemus ad dominum.

S. Gratias agamus domino Deo nostro. Quod dicendo iungit manus ante pectus, & caput Deo inclinat.

M. Dignum, & iustum est. Eleuatis, & extensis (vt prius) manibus prosequitur Præfationem sequentem, si non habetur alia propria.

Vere dignum, & iustum est, æquum & salutare, nos tibi semper, & vbique gratias agere, domine sancte, pater omnipotēs, æterne Deus, per Christum dominum nostrum. Quod dicendo caput Deo inclinat. Tum extensis manibus (vt prius) prosequitur. Per quē maiestatem tuā laudāt Angeli adorāt, Dominationes, tremūt potestates. Celi, cęlorumq; Virtutes, ac beata Seraphim sociæ exultatione concelebrant cū quibus, & nostras voces, vt admitti iubeas deprecamur, supplici confessione dicentes. Iunctis manibus ante pectus voce mediocri dicit:

Sane

ORDO

Sanctus, Sanctus, Săctus dominus Deus Sabaoth.
 Pleni sunt cęli, & terra gloria tua osanà in ex-
 cellis. Manu dextra producendo signum Crucis
 à fronte ad pectus se ipsum signat, dicens: Bene-
 dictus, qui venit in nomine domini osanà in ex-
 cellis. Manibus iunctis super altare positis, stans
 ante medium altaris versus ad illud, eleuatis ocu-
 lis ad Deum, & sine mora demissis, capite incli-
 nato, dicit secrete:

TE igitur clemētissime pater, per Iesum Chri-
 stum filium tuum, dominum nostrum sup-
 plices rogamus ac petimus, osculatur ante
 se altare, erigit se, & stans eleuatis, & iunctis mani-
 bus ante pectus, dicit: Vti accepta habeas, & bene-
 dicas, Dextra manu ter signat communiter super
 hostiam, & calicem, dicens: Hęc do ✠ na, hęc
 mu ✠ nera, hęc sancta ✠ sacrificia illibata. Ex-
 tensis manibus ante pectus prosequitur. In pri-
 mis, quę tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta cę-
 tholica, quam pacificare, custodire, adunare, & re-
 gere digneris toto orbe terrarum, vna cum sa-
 mulo tuo Papa nostro N. Exprimendo nomen
 Papę (Sede vero apostolica vacante, verba præ-
 dicta: vna cum samulo tuo Papa nostro N.
 omittuntur) Antistite nostro N. specificando
 nomen Patriarchę, Archiepiscopi, vel Episcopi

Ordinarij sui (qui si est vita functus, illa verba, & *Antistite nostro N.* omittuntur) si celebrans est Episcopus, Archiepiscopus, vel Patriarcha, omisis verbis, & *Antistite nostro N.* dicit: & *me indigno seruo tuo:* Si autem est Papa, qui celebrat, dicitis verbis: *toto orbe terrarum vna cum famulo tuo Papa nostro N. & Antistite nostro N.* dimissis, dicit: *vna cum me indigno famulo tuo, quem gregi tuo præesse voluisti.* Et continuant omnes, vt sequitur: & *omnibus orthodoxis, atque catholica, & apostolica fidei cultoribus.*

Memento, domine, famulorū, famularumq; tuarum stans in quiete manibus iunctis, & vsque ad faciem, vel pectus (prout sibi magis placet) eleuatis agit commemorationem viuorum Christi fidelium ad suam voluntatem: eorū tamen, non est necesse, quòd exprimat nomen, sed solum in mente eorum memoriam habeat. Potest tamen celebrans si pro pluribus orare intendit (ne circumstantibus sit molestus) ante missam in animo suo proponere omnes illos, tam viuos, quam defunctos, pro quibus in ipsa missa orare intendit, & in hoc loco generaliter vnico cōtextu ipsorum viuorum commemorationem agere, quibus ante missam proposuit in ipsa missa suis

ORDO

suis orationibus subuenire: qua facta, seu habitis, demissis, & extensis manibus (vt prius) cōtinuar: & omnium circūstantium, quorum tibi fides cōgnita est, & nota deuotio: pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se, suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis, & in columitatis suae, tibi que reddunt vota sua aeterno Deo, viuo, & vero. Stans eodem modo dicit.

Communicantes, & memoriam venerantes, in primis gloriosae, semperque virginis Mariae genitricis Dei, & dñi nostri Iesu Christi. Inclinat caput Deo, & prosequitur: Sed & beatorum apostolorum, ac martyrum tuorum Petri, & Pauli, Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Iacobi, Philippi, Bartholomaei, Simonis, & Thadaei, Lini, Cleti, Clementis, Sixti, Cornelij, Cypriaui, Laurentij, Crysogoni, Ioannis, & Pauli, Cosmae, & Damiani: & omnium sanctorum, quorum meritis, precibusque concedas, vt in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio: per eundem Christum dominum nostrum. Amen.

Minister accendit intortitium: quod erectum in dextra manu retinens, & conuenienter eleuans, genuflectit

nuslectit in gradu, vel in terra pro dispositione loci à tergo celebrantis: qui dictis præmissis, extendit manus versus oblata, dicens secrete:

Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cum cetera familia tua, quæ sumus domine, ut placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari. Per Christum dominum nostrum. Iungit manus ante pectus dicens secrete:

Quam oblationem tu, Deus, in omnibus quæ sumus, dextra manu communiter signat ter super hostiam, & calicem dicens: **Benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque** facere digneris, ut nobis, semel separatim signat super hostiam tantum, dicens: **corpus**, deinde calicem tantum, dicens: **& sanguis**, eleuat, & iungit manus ante pectus prosequens: **fiat dilectissimi filij tui domini nostri Iesu Christi.** Inclinat caput Deo, & tergit aliquantulum pollices, & indices super corporale, dicens secrete: **Qui pridie quam pateretur**, Accipit cum pollice, & indice dextra manu hostiam, & eam cum pollice, & indice etiam sinistra manus tenens, stans erectus ante

O R D O

ante medium altaris, dicit: **Accipit panem in sanctas, ac venerabiles manus suas.** Eleuat ad Deum oculos, & sine mora demittit, dicens: **Et eleuatis oculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens,** Tenet hostiam inter pollicem, & indicem sinistrae manus, & dextra producit semel signum Crucis super eam dicens: **Bene** ✠ **dixit, fregit, deditque discipulis suis dicens: Accipite, & manducate ex hoc omnes.** Discooperit manu dextra calicem, seu vas aliarum hostiarum si sit, & cubitis super altare positis, stans inclinato capite, verba consecrationis distinctè, secretè, & reuerenter profert super hostiam, & simul super omnes, si plures sunt consecrandæ, & hostiam suam tantum pollicibus, & indicibus tenet, dicens:

¶ **Hoc est enim corpus meum.**

¶ His dictis celebrans hostiã inter pollices, & indices super altare tenens, reliquis manuum digitis extensis, ac binis simul iunctis, & cæteris hostijs (si sunt plures consecratae in loco, in quo à principio missæ sunt posita super corporali, vel in alio calice, siue vase) dimissis, genuflexus eam adorat. Tum se erigit, & eleuat in altum quantum commodè potest hostiam, & populo ostendit reuerenter adorã-

dam: & mox ipsam veneranter super corporale reponit, vnde eam leuauit, & pollices, ac indices non disiungit vsque post cōmunionem, nisi quādo hostiam consecratam tangere, vel tractare debet, vt infra dicitur. Tum vsque in terram genuflexus hostiam ipsam veneratur, & calicem seu vas aliarum hostiarum, si sit, sua patena cooperit. Interim dum celebrans hostiam eleuat, minister etiam eleuat manu sinistra fimbrias posteriores Planetæ, siue Casulæ celebrantis, ac totam posteriorem eius partem, ne ipsum celebrantem impediat in extensione brachiorum.

¶ Deinde celebrans discooperit calicē, & pollices, ac indices super illius labiū aliquantulum tergit, & eos iterum iungit, & stans erectus, dicit secrete:

Simili modo, postquam cœnatum est, ambabus manibus accipit calicem iuxta nodum infra caput calicis, & illum aliquantulum eleuat, & sine mora reponit in eundem locum, de quo eum leuauit, super corporale, interim prosequens: **accipiēs & hunc prælatum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agēs,** tenet calicem manu sinistra infra vās, dextra signando super eum dicit: **bene** ✠ **dixit,** deditq; discipulis suis, dicens: **Accipite & bibite ex eo omnes.** Accipit ambabus manibus calicē:

D

vide.

videlicet cum sinistra pedent, cum dextra vero notandum infra caput calicis: & cubitis super altare positus, stans inclinato capite, super calicem secretè distinctè, & reuerentè verba consecrationis profert dicens:

Hic est enim calix sanguinis mei, novi, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Reponit calicem super corporale, dicens **secrete: Hæc quotiescunq; feceritis, in mei memoriam facietis.** Et genuflexus sanguinem reuerenter adorat, tum se erigit, accipit calicem discoopertum cum sanguine ambabus manibus, & (vt prius) eleuat eum erectum quantum commodè potest, & illum populo ostendens adorandum, & mox ipsum reuerenter reponit super corporale in locum solitum, & manu dextra ipsum palla coöperit, & genuflexus sacramentum veneratur. Interim dum celebrans calicem eleuat, minister manu sinistra eleuat dictas fimbrias, & posteriorem partem Planætæ celebrantis (vt prius) & postquàm celebrans calicem super corporale reposuerit, surgit, extinguit intortitium, & reponit in locum suum.

Tum celebrans stans (vt prius) ante altare extendis

sis manibus ante pectus more consueto, dicit se-
crete:

Vnde & memores, domine, nos serui tui, sed
& plebs tua sancta Christi filij tui domini no-
strum Iesu Christi tam beatæ passionis, nec
nō & ab inferis resurrectionis, sed & in cælos glo-
riose ascensionis efferimus præclaræ maiestati tuæ
de tuis donis, ac datis, Iungit manus ante pectus,
tum manu dextra signat ter communiter super ho-
stiam, & calicem, dicens: **Hostiam ✠ puram ho-
stiam ✠ sanctam, hostiam ✠ immaculatam,** su-
per hostiam tantum signat, dicens: **Panem ✠ san-
ctum vitæ æternæ:** Super calicem tantum signat,
dicens: **& calicē ✠ salutis perpetuæ:** Secrete pro-
sequitur stans manibus ante pectus, more solito,
extensis:

S**V P R A Q V A E** propitio, ac serene
novultu respicere digneris, & accepta habere
sicuti accepta habere dignatus es munera pue-
ri tui iusti Abèl, & sacrificium Patriarchæ nostri
Abrahæ, & quod tibi obtulit summus sacerdos
tuus Melchisedech sanctū sacrificium immacula-
tam hostiam. Inclinat se ante medium altaris, &
manibus iunctis super illo positis secrete dicit:

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, iu-
be hæc perferri per manus sancti Angeli tui

in sublime altare tuum, in conspectu diuinæ maiestatis tuæ, vt quotquot ex hac altaris participatione, separatis manibus hinc, & inde super altare positus osculatur altare, erigit se, & iunctis manibus continuat: **sacrosanctum filij tui**, signat manu dextra super hostiam tantum, dicens: **corpus**, signat eadem manu super calicem tantum, dicens: & **anguinem sumpserimus**, omni **bene dictione**, quod dicendo, se ipsum eadem manu signat signo Crucis à fronte ad pectus, & continuat: **cælesti, & gratia repleamur: per eundem Christum dominum nostrum. Amen.**

Memento etiam, domine, famulorum famularumque tuarum **N.** Statim manibus iunctis ante pectus, vel vsque ad faciem eleuatis (sicut magis sibi placuerit) oculis ad sacramentum in altari positum intentis, agit commemorationem fidelium defunctorum, de quibus sibi videbitur, eodem modo, prout de commemoratione viuorum supra diximus. Qua habita, stans extensis manibus ante pectus (vt prius) cōtinuat, dicens: **qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis, ipsis domine, & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerij, lucis, & pacis, vt indulgeas deprecamur: per eundem Christum**

Christum dominum nostrum: Amen.

Dextra manu percutit pectus suum aliquantu-
lum altius dicens:

Nobis quoque peccatoribus. Secretè profe-
quitur: famulis tuis de multitudine misera-
tionum tuarum sperantibus, partem ali-
quam, & societatem donare digneris cū tuis san-
ctis Apostolis, & martyribus, cum Ioanne, Ste-
phano, Mathia, Barnaba, Ignatio, Alexando, Mar-
cellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lu-
cia, Agnete, Cecilia, Anastasia, & omnibus sanctis
tuis, intra quorum nos consortium non æstima-
tor meriti, sed venie quæsumus largitor admitte.
Per Christum dominum nostrum.

Tum iungit manus ante pectus, dicens secrete:

Per quæ hæc omnia, domine, semper bona creas,

Manu dextra ter signat communiter super hostiã

& calicem dicens: sancti ✠ ficas, viui ✠ ficas,

bene ✠ dicis, & præstas nobis, discoóperit ma-

nu dextra calicem, & genuflexus reuerentiam fa-

cit sacramento: Tum se erigit: & reuerenter acci-

pit hostiam inter póllicem, & índicem dextræ

manus: & cum ea super calicem, quem manu si-

nistra tenet per nodum infra vas, signat ter à la-

bio in labium, dicens: per ip ✠ sum, & cū ip ✠

so, & in ip ✠ so cum hostia bis inter se, & calicem

cem à labio calicis incipiens signat dicens: **Est u-**
bi Deo ✠ **patri omnipotenti in unitate Spiritus**
San ✠ **cti, omnis honor, & gloria.** Tenet ma-
 nu dextra hostiam super calicem: eleuat aliquan-
 tulum ambabus manibus hostiam, simul & cali-
 cem, sic sine mora illū, ac illam reponit ad loca
 solita: póllices, & índices super labium calicis ali-
 quantulum tergit, iungit, & calicem palla eoópe-
 rit, & vsque ad terram genuflectens sacramen-
 tum veneratur: érigit se, & manibus more so-
 lito extensis hinc, & inde super altare positus di-
 cit intelligibili voce:

¶ **Per omnia sæcula sæculorum.**

M. A. men.

¶ **Oremus.**

¶ **Preceptis salutaribus moniti, & diuina institú-**
tionē formari audemus dicere: Eleuat, & iungit
 manus antepectus, & oculis ad sacramentum in
 altari positum intentus capite inclinato dicit ea-
 dem voces:

Pater noster qui es in cælis, sanctificetur no-
 men tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat vo-
 luntas tua sicut in cælo, & in terra. Panē no-
 strum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte
 nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus de-
 bito-

ditoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem.

M. Sed libera nos à malo.

R. Celebrans dicit secrete: Amen. Et manu dextra póllice & índice non disiunctis, accipit patenam de altari, & inter indicem, & medium digitos dextrę manus tenet ipsam super altare erectã, sinistram vero tenet ante pectus more solito extensam dicens secrete:

Libera nos, quæsumus domine, ab omnibus malis, præteritis, præsentibus, & futuris: & intercedente beata, & gloriosa semperque virgine Dei genitrice Maria, & beatis Apostolis tuis Petro, & Paulo, atque Andrea, & omnibus sanctis. Eleuat manu dextra patenam de altari: & signat se ipsum cum ea, producendo crucem à frõte ad pectus, ac patenam ipsam osculatur, interim dicens secrete: **Da propitiis pacem in diebus nostris, vt ope misericordiæ tuæ adiûri, & à peccato simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi.** Submittit patenam hostiæ, quã ponit in ipsam patenam, discoóperit Calicem: & genuflexus in terram sacramentum veneratur: érigit se: accipit hostiam inter pollicem, & indicem dextrę manus: & cum illis, ac pollice, & indice sinistrę manus eam super sanguinẽ in

Calice tenens cum reuerentia frangit per mediū:
 & mediam, quam inter pollicem & indicem dex-
 træ manus tenet, ponit in patenam interim di-
 cens: **Per eundem dominum nostrū Iesum Chri-**
stum filium tuum. De alia media, quam inter
 pollicem, & indicem sinistrae manus tenet, acci-
 pit cum pollice, & indice manus dextræ particu-
 lam, quam inter ipsos dextræ manus pollicem,
 & indicem retinet: partem vero, quam in sinistra
 habet, adiungit mediæ per ipsum super patenam
 positæ, interim dicens: **Qui tecum uiuit, & ro-**
gnat in unitate Spiritus Sancti Deus, particu-
 lam hostiæ, quam retinuit in dextra manu, tenet
 super calicem, quem manu sinistra per nodum in
 fra vas retinet, intelligibili uoce, dicens:

S. Per omnia secula seculorum.

M. Amen.

¶ Cum ipsa particula signat ter à labio in labium
 Calicis dicens:

¶ **Pax ✠ domini sit ✠ semper vo ✠ biscum.**

M. Et cum spiritu tuo.

¶ Particulam, quam dextra tenet, imponit in sari-
 guinem dicens secrete: **Fiat commixtio, & con-**
secratio corporis, & sanguinis domini nostri Ie-
su Christi accipientibus nobis in uitam aternā.

Amen.

¶ **Pollicio**

¶ Pollices, & indices super labium calicis aliquantulum tergit, iungit, calicem palla coóperit, & genuflexus sacramentum veneratur, surgit, & stans iunctis manibus ante pectus, capite inclinato, dicit intelligibili voce:

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, *miserere nobis*, manu dextra percútit pectus suum, & prosequitur secundo dicens:

¶ **A**gnus Dei, qui tollis peccata mundi, *miserere nobis*. Iterum manu dextra percútit pectus suum, & tertio dicit:

¶ **A**gnus Dei, qui tollis peccata mundi *dona nobis pacem*. Percútit tertio eadem manu pectus suum.

¶ Tum inclinato capite ante medium altaris, manibus iunctis super altare positis, *secretè* dicit:

Domine **I**ESV **C**HRISTE, qui dixisti apostolis tuis: *pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, ne respicias peccata mea: sed fidem Ecclesiæ tuæ, eamq; secundum voluntatem tuam pacificare, & coadunare dignare, qui vivis, & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.* Si est daturus pacem, osculatur altare in medio, & instrumentum pacis sibi porrectum per ministrum, iuxta ipsum ad dextram videlicet in cornu Epistolæ genuflexum,

ORDO

prius dicens voce competenti:

Pax tecum.

M. Et cum spiritu tuo.

¶ Surgit minister, & pacem interessentibus misse porrigit osculandam dignioribus primò, deinde alijs, vltimò mulieribus, singulis dicés: **Pax tecum.** Et singuli respondent ei. **Et cum spiritu tuo.**

¶ Si nō est daturus pacē, etiam si illius datio missæ conueniat, non osculatur altare, sed præmissa oratione dicta, sine mora stans (vt præfert subiūgit sequentes orationes. Si vero celebratur pro defunctis, omisis omnibus præcedentibus, ab Agnus Dei inclusiuè huc vsque positus, intelligibili voce sine vlla pectoris percussione dicit:

¶ **Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem.**

¶ **Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem.**

¶ **Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem sempiternam.**

¶ Tum profequitur secretè sequentes orationes (quæ etiam in singulis alijs missis dicuntur, excepta solum feria sexta hebdomadæ sanctæ, quia non missa, sed singulare officium celebratur.)

stans

stans in medio altaris inclinatus vt prius.

Domine Iesu Christe, fili Dei viui, qui ex voluntate patris coöperate Spiritu Sancto per mortem tuam mundum viuificasti, libera me per hoc sacrum corpus, & sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis, & vniuersis malis: & fac me tuis semper inhaerere mandatis, & a te nunquam separari permittas. Qui cum eodem Deo Patre, & Spiritu Sancto viuis, & regnas in secula seculorum. Amen. Oratio.

Preceptio corporis tui, domine Iesu Christe, quod indignus sumere praesumo, non mihi proueniat in iudicium, & condemnationem: sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis, & corporis, & ad medelam percipiendam. Qui viuis, & regnas cum Deo patre in vnitae, &c.

¶ Quibus dictis in terram genuflectens sacramentum veneratur, tum se erigit, & dicit secrete:

Panem caelestem accipiam, & nomen domini inuocabo.

¶ Quo dicto, accipit de patena reuerenter ambas partes hostiae super illam positas, inter pollicem & indicem sinistrae manus, patenam inter eundem indicem, & medium digitos eiusdem manus, & renes partes huiusmodi super patenam manudextratribus

tribus vicibus p̄cutit pectus suum, interim etiã
tribus vicibus dicens voce aliquantulum eleuata:

Domine non sum dignus, & secrete profes-
quitur, vt intres sub tectum meum, sed tã-
tũ dic verbo, & sanabitur anima mea. Qui-

bus tertio factis, & dictis, accipit ambas partes
prædictas hostiæ ex sinistra inter pollicem, & in-
dicem dextræ manus, & cum illa supra patenam
signat se ipsum signo Crucis, dicens secrete:

Corpus domini nostri IESV CHRISTI
custodiat animam meam in vitam æternã.

Amen. Cubitis super altare positus, & patē-
na sinistra manu ori supposita reuerenter sumit
easdem ambas partes:

Quibus sumptis, deponit patēnam super cor-
porale, erigit se, & ambas manus ante faciem iun-
gens aliquantulum quiescit, deinde depositis ma-
nibus dicit secrete:

Quid retribuã domino pro omnibus, quæ
retribuit mihi? Discooperit calicem, ac
pollices, & indices super labiũ ipsius ali-
quantulũ tergit, ac iterum eos iungit, accipit patēnã
& eã diligēter cũ pollice dextrę manus super calicē
extergit, ne quid de hostia super ea remaneat. Et si
sint hostiæ consecratæ super corporali positę pro

alio

alio tempore conseruandæ, facta eis reuerentia debita, reponit eas in vas ad hoc ordinatum. Et diligenter aduertit, ne qua particula quantūcunque minima maneat super corporali: sed studiose, & accuratè reponit in calicem, & pollicibus, ac indicibus iunctis, genu flexus iterum sacramentum venatur: surgit & calicem ambabus manibus, videlicet cum sinistra pedem, cum dextra vero nodū infra caput accipit, dicens secrete: **Calicem salutaris accipiam, & nomen domini inuocabo. Laudans inuocabo dominum, & ab inimicis meis saluus ero.** Et signans se signo Crucis cum calice, dicit secrete:

¶ **Sanguis domini nostri Iesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen.**

¶ Et stans reuerenter sumit totum sanguinem, cum particula in calice posita. Quibus sumptis, dicit secrete:

Quod ore sumpsimus, domine, pura mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum. Amē. In-

terim porrigens calicem ministro, qui infundit in eum vinum quo celebrans se purificat, & si qui sunt communicandi, eos communicat, antequam digitos abluat, seruato ordine de tempore & modo cōmunicandi populum in presbyterali dato.

Tum

¶ Tum purificatis, & cæteris communicatis, dicit secrete:

COrpus tuum domine quod sumpsi, & sanguis quem potavi, adhæreat visceribus meis, & præsta, vt in me non remaneat scelerum macula, quem pura, & sancta refecerunt sacramenta, qui viuis, & regnas cum Deo Patre in vnitæte Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

¶ Eodem ministro aquam fundente, celebrans abluit pollices, & indices super calicem & ablutionem etiam sumit, deinde extergit etiam os, & calicem purificatorio, & purificatorium super callicem, ac desuper patenam ponit: & prout sibi magis placet, collocat ad partem dextram, vel sinistram, aut in medio altaris dimittit. Interim missale per ministrum ad cornu Epistolæ reportatur, & directe inter anteriorem, & posteriorem partes altaris ponitur.

De communionē.

Vbi expeditis præmissis. Celebrans stans versus ad altare manibus iunctis, vel disiunctis, prout sibi magis placet, super altare, vel missale positus, legit ex inde communionem. Quæ lecta iunctis manibus ante pectus, vadit ad mediū altaris, vbi depositis super eo manibus hinc & inde extensis, illud in medio osculatur Tum iunctis,

vt prius, manibus ante pectus, dimissis oculis ad terram, ibidem ad manum sinistram, hoc est, la-
 tus dextrum, vertit se ad populum, & dicit intelli-
 gibili voce populo:

S. Dominus vobiscum. Extendendo interim, & iungendo manus ante pectus, digitis tamen non dissimilibus.

M. Et cum spiritu tuo.

¶ Iunctis manibus per eandem viam ad medium altaris reuersus facta ibidem cruci reuerentia, accedit ad librum, vbi extendendo, & iungendo manus ante pectus, stans ad altare versus, dicit eadem voce:

¶ **Oremus** caput Deo inclinat, extensis manibus ante pectus, stans, vt prius diximus, dicit post communionem missæ conuenientem vsque ad **Per dominum** seu aliam conclusionem, quam dicendo, iungit manus ante pectus, & sic eas tenet vsq; ad finem post communionis, quam cum sua conclusione ante librū perficit, & dicendo: **IESVM CHRISTVM** caput Deo inclinat, & sic manus tenet vsque ad finem post communionis.

Qua ibidem perlecta, si aliæ sunt post communionis dicendæ, **Responsio.** Amen, repetit simili voce: **Oremus**, & subiungit eas prout de orationibus, & secretis supra diximus.

Quibus

O R D O

¶ Quibus ibidem vsque ad finem dictis, iunctis manibus ante pectus reuertitur ad medium altaris, & depositis super eo manibus hinc, & inde extensis, illud in medio osculatur, ac eodem modo iunctis manibus (vt prius) demissis ad terram oculis ad manum sinistram, hoc est, ad latus dextrum ad populum versus, dicit voce prædicta:

¶ **Dominus vobiscum** extendendo, & iungendo interim manus ante pectus, digitis non disiunctis. M. **Et cum spiritu tuo**. Et adhuc ad populum versus, iunctis manibus ante pectus, dicit intelligibili voce:

De ite missa est

¶ **Ite missa est**. Quod dicitur ad omnes missas, in quibus dictum est, **Gloria in excelsis Deo**. Quo dicto celebrans per eandem viam reuertitur ad medium altaris responso **Deo gratias**. Vel si missa ferialis sit, aut alia, in qua non sit dictum, **Gloria in excelsis Deo**, finita post communionem, & repetito **Dominus vobiscum**, vertit se per viam prædictam ad altare, vbi stans versus ad illud, iunctis ante pectus manibus pro **Ite missa est**, dicit intelligibili voce:

¶ **Benedicamus Domino**.
M. **Deo gratias**.

Tempo-
re. xl.

¶ In quadragesima à die cinerum inclusiue, vsq; ad quar-

ad quartam feriam hebdomadæ sanctæ etiam in
 clusiuè, inferiali officio duntaxat, postquam cele
 brans dixit omnes post communionem cum suis
 solitis conclusionibus, prout superius ordinatū
 est, antequam repetat: **Dominus vobiscum**, stans
 in eodem loco, in quo post communionem dixit
 ante librum, conuersus ad altare (vt erat) dicit ab
 solute intelligibili voce: **Oremus, Humiliate ca
 pita vestra Deo.** Inclinat caput, & subiungit eā
 dem voce orationem super populum ibidem or
 dinatam cum sua conclusione. Quæ finita accedit
 ad medium altaris, osculatur illud, & conuersus
 modo superius dato ad populum dicit: **Domini
 nus vobiscum**, & alia, vt supra diximus. Domi
 nicis vero, & alijs diebus quadragesimæ in qui
 bus de aliquo festo, vel pro defunctis, aut votiuæ
 missa celebratur, oratio huiusmodi super populū
 cū suo, **Oremus, Humilitate capita vestra Deo**
 non dicitur, sed missa ipso modo prius dicto ter
 minatur. Si vero celebrauit pro defunctis, omis
 sis: **Ite missa est. Benedicamus domino.** Dicto se
 cūdo: **Dominus vobiscū** reuertitur per eandem
 viā, per quā ad populum se conuerterat ad altare,
 vbi stans in medio, versus ad illud, iūctis manibus
 ante pectus dicit intelligibili voce: **Requiescāt in
 pace. M. Amen. Tū stans ante medium altaris,**
 E capite

capite inclinato, & manibus iunctis super altare
positis, dicit eadem voce:

Placeat tibi, sancta Trinitas, obsequium ser-
uitutis meæ, & præsta, vt sacrificium, quod o-
culis tuæ maiestatis indignus obtuli, tibi sit ac-
ceptabile, & mihi, ac omnibus, pro quibus illud
obtuli, sit te miserante propitiabile, Per Christū
dominum nostrum. **A men.** Extensis manibus
hinc, & inde super altare positis, ipsum altare os-
culatur: erigit se, & adhuc stans versus ad illud, di-
cit intelligibili voce:

¶ **De Benedictione.**

¶ **Benedicat vos omnipotens Deus.** Iungit ma-
nus ante pectus, & caput Deo inclinat: & iunctis
manibus, ac demissis oculis ad terram, si altare
est populo versus, stans vt erat, benedicit manu
dextra populo: primo inter cornua Euangelij: tū
in medio altaris: deinde inter cornua Epistolæ,
dicens interim: **Pater, & filius, & Spiritus San-**
ctus. Si vero altare non est populo versus: sed
communi modo positum: vertit se ad manum si-
nistram: hoc est ad latus dextrum: & per gyrum
tertio populo benedicit: Primo versus cornu Epi-
stolæ: vbi manu dextra signum crucis producens
super populum, dicit eadem voce. **Pa** **ter** in
medio dicens simili voce: & **fi** **lius** deinde ver-
sus

sus ad cornu Euangelij dicens voce prædicta: &
Spiritus ✠ **Sanctus. M. Amé.** Primam autem,
 & tertiam benedictiones huiusmodi non dat di-
 rectè versus cornua Epistolæ, & Euāgelij, sed ma-
 gis versus medium super populum ibidem exis-
 stentem. Aut si populus, qui missæ interfuit, est
 in medio, dictis per celebrantem verbis: **Benedi-**
cat vos omnipotens Deus, vertit se, vel non ver-
 tit pro dispositione altaris, vt supra diximus, & su-
 per populum manu dextra in medio vnicum rā-
 tum Crucis signum producit dicens: **Pater, & fi-**
lius ✠ & **Spiritus Sanctus,** & circulum perficit.
 ¶ **Quando adest aliquis Prælatus.**

¶ Si celebrauit coram summo Pontifice, aut Car-
 dinale, vel Legato sedis Apostolicæ, Patriarcha,
 Archiepiscopo, vel Episcopo, in prouincia, ciuita-
 te, vel diæcési sua existente, celebrans non bene-
 dicit propria autoritate: sed dicto per eum, **Pla-**
ceat, conuertit se ad summum Pontificem genu-
 flexus: ante Cardinem vero, Legatum, vel præla-
 tum capite inclinato, ab eo benedictionem rece-
 pturus: si autem summus Pontifex, Cardinalis,
 Legatus, vel prælati signum dederit, celebrans
 iterum ad altare conuersus, dicit: **Benedicat vos**
omnipotens Deus: Pa ✠ **ter, & fi** ✠ **lius,** & inte-
 ressentibus ad manum sinistram, videlicet in cor-

O R D O

nu Epistolæ, & in medio benedicit, omiſſis ver-
 bis: & **Spiritus Sanctus**, ac ſigno crucis ad dexte-
 ram, videlicet in cornu Euangelij, in qua eſt Pon-
 tificex ipſe, Cardinalis, Legatus, vel Prælatuſ: & ibi
 dem ſine mora Pontifici genufleſcit, Cardinali
 autem, Legato, vel Prælato caput inclinat: qui ei
 benedicit. Si vero locus ſummi Pontificis, Cardi-
 nalis, Legati, vel Prælati huiuſmodi non eſſet in
 cornu Euangelij, ſed in alia parte, vel altare eſſet
 populo verſum, celebrans recepto ſigno, benedi-
 cendo pertransit eum, & non ei, ſed alijs benedi-
 cit ordine ſolito: tum ab eo benedictionem acci-
 pit, vt prædiximus. Si autem celebrauit corā Car-
 dinale, Patriarcha, Archiepiſcopo, **vel** Epifcopo
 extra eorum titulum, eccleſiam, ſiue Prouinciam
 ciuitatem, & diacēſim conſtitutis, non habet ad
 eos huiuſmodi reſpectum, ſed eis (vt cæteris inte-
 reſſentibus) more cūſueto benedicit perfecto cir-
 culo, vel ſi celebrauit pro defunctis, omiſſa bene-
 dictione (quia poſt miſſam nō datur benedictio).
 Osculato poſt dicto, **Placeat**, vt præmittitur, al-
 tari in medio, & ſi ſit vaſ cum hoſtijs conſecran-
 dis pro alio tempore conſeruandis reponendum,
 illud factō ſacramento debita reuerentia detecto
 capite defert, & deponit illud in locum ſuum, &
 locum ipſum bene claudit: quo factō reuertitur

ad

ad medium altaris, stans ibidem iunctis manibus ante pectus versus ad cornu Euangelij, dicit intelligibili voce:

¶ Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo. Signat pollice dextrę manus ibidem altare, & se in fronte, ore, & pectore, dicens eadem voce:

¶ Initium sancti Euangelij secundum Ioannem.

M. Gloria tibi domine.

¶ Tum eodem modo stans iunctis manibus ante pectus prosequitur simili voce:

IN principio erat verbum: & verbum erat apud Deum: & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat: & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebrę eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium: vt testimoniũ perhiberet de lumine: vt omnes crederet per illum. Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quę illuminat omnem hominem venientem in hunc mūdum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus cum non cognouit. In propria venit: & sui cum non receperunt. Quotquot autem re-

ceperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius. Qui non est sanguinibus: neque ex voluntate carnis: neque ex voluntate viri: Sed ex Deo nati sunt, genu flexus dicit voce prædicta: Et verbū caro factū est. Surgit, & stans (vt prius) perficit Euangelium eadem voce. Et habitauit in nobis: & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a patre, plenum gratiæ, & veritatis.

¶ Finito Euāgelio, si celebravit corā summo Potēfice, aut Cardinale, Patriarcha, Archiepiscopo, seu Episcopo, in eorū residētij, aut ecclesia, vel loco iurisdictionis eorū, cōuertit se ad eum corā quo ex prædictis celebravit, & facit ei reuerentiā cōuenientē quod si nō celebravit coram aliquo prædictorū vt præfertur, huiusmodi conuersionē, & reuerentiā prætermittit. Minister accipit cādelas de altari, & extinguit eas. Celebrāsplicat corporale, interposito paruo corporali reponit eum in bursam, & calicem cū patena in sacculū, siue linteum ad hoc ordinatū ligat, ponit desuper bursam cum corporali, & omnia in manū sinistram recipiēs: manu dextra retinet bursam corporalis ne cadat, & præcedente ipsū ministro cum missali, ampullis vini, & aquæ, candelis, & intortitio extinctis, redit ad sacrificiam, vel alium locum conuenientē.

Hæc cō-
modus
fiēt ante
post cō-
muniō-
nem.

nientem, vbi depositurus est sacras vestes, interim dicēs Antiphōnam, & Psalmos, & alia sequentia. Sōvero sit dimissurus huiusmodi vestes ante altare, vbi celebravit, finito Euangelio prædicto, dimissis super altari corporali, & calice, ac alijs super prædictis easdē vestes deponit ibidē, & super ipsū altare reponit, interim dicēs Antiphōnā. Triū pororū cātemus Hymnū, quē cantabāt sancti in camīno ignis benedicentes dominum. **Psal.**

Benedicite omnia opera domini domino, laudate & super exaltare eum in sæcula.

¶ Benedicite angeli dñi dño, benedicite celi dño.

¶ Benedicite aquę omnes quę super cælos sunt domino: benedicite, omnes virtutes domini dño.

¶ Benedicite sol, & luna domino, benedicite stellę cæli domino.

¶ Benedicite hyber, & ros domino, benedicite omnis spiritus Dei domino.

¶ Benedicite ignis, & estus domino, benedicite frigus, & æstas domino.

¶ Benedicite glacies, & niues domino, benedicite noctes, & dies domino.

¶ Benedicite lux, & tenebrę domino, benedicite fulgura, & nubes domino.

¶ Benedicat terra dominum, laudet, & super exaltet eum in sæcula.

¶ Benedicite montes, & colles domino, benedicite vniuersa germinantia in terra domino.

¶ Benedicite fontes domino, benedicite maria, & flumina domino.

¶ Benedicite cete, & omnia quæ mouentur in aquis domino, benedicite omnes volucres cæli domino.

¶ Benedicite omnes bestię, & pecora domino, benedicite filij hominum domino.

¶ Benedicat Israel dominum, laudet & super exaltet eum in sæcula.

¶ Benedicite sacerdotes domini domino, benedicite serui domini domino.

¶ Benedicite spiritus, & animæ iustorum domino, benedicite sancti, & humiles corde domino.

¶ Benedicite anania azaria misael domino, laudate, & superexaltate eum in sæcula.

¶ Benedicamus patrem, & filium, cum sancto spiritu, laudemus, & superexaltemus eum in sæcula.

¶ Benedictus es, domine, in firmamento cæli, & laudabilis, & gloriosus, & superexaltemus in sæcula. Psalm.

Laudate dominum in sanctis eius, laudate eum in firmamento virtutis eius.

¶ Laudate est in virtutibus eius, laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius.

Laudate

¶ Laudate eum in sono tube, laudate eum in psalterio, & cythara.

¶ Laudate eum in tympano, & choro: laudate eum in chordis, & organo.

¶ Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis spiritus laudet dominum.

¶ **Gloria patri, & filio, & Spiritui sancto.**

¶ Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen. Repetit antiphonam secrete.

¶ **Trium puerorum cantemus hymnum; quem cantabant sancti in camino ignis benedicentes dominum,** stans detecto capite in cornu Epistolæ versus ad ipsum altare, si est coram eo, vel si est alibi detecto capite dicit secrete:

¶ **Kyrie eleison.**

¶ **Christe eleison.**

¶ **Kyrie eleison.**

¶ **Pater noster.** Quo secrete completo dicit:

¶ **Et ne nos inducas in tentationem.**

¶ **Sed libera vos à malo.**

¶ Confiteantur tibi, domine, omnia opera tua.

¶ Et sancti tui benedicant tibi.

¶ Exultabunt sancti in gloria.

¶ Latabuntur in cubilibus suis.

ORDOM

¶ Non nobis domine non nobis.

¶ Sed nomini tuo da gloriam.

¶ Domine exaudi orationem meam.

¶ Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

DEus qui tribus pueris mirigasti flamas igni,
concede propitius, vt nos famulos tuos nō
exurat flamma vitiorum.

Alia oratio.

Actiones nostras, quasumus domine, aspiran-
do præueni, & adiuuando prosequere, vt cum
ista nostra oratio, & operatio à te semper in-
cipiat, & per te incepta finiatur: per Christum do-
minum nostrum. Amen.

¶ De his quæ omittuntur, in Missa
pro defunctis.

IN missa pro defunctis, ad introitum non dicitur,
Gloria patri, neque dicitur, **Gloria in excelsis Deo**, neque **Allelûia**, neque **Iube domine benedicere**. & benedictio ante Euangelium, neque Euangelio dicto osculatur textus, neque dicitur **Credo in vnum Deum**. A qua calici imponenda pro sacrificio non benedicitur. **Agnus Dei** speciali habentur.

Oratio.

¶ Domine Iesu Christe qui dixisti **Apostolis**, &
cætera, non dicitur. Pax non datur, neque missa fi-
nita populo beneditur, sed dicto **riaceat**, &c.

Non

omissis

omissis Itē missa est, & Benedicamus domino
dicitur: **Requiescant in pace.** Alia omnia dicuntur,
& fiunt, quæ prout in cæteris Missis dici, &
fieri consueuerunt.

**De celebratione duarum vel trium
missarum eadem die.**

Sunt nonnulli sacerdotes, ob raritatem clerico-
rum, aut ecclesiarum paupertatem duas paro-
chiales ecclesias obtinentes, quibus à iure con-
ceditur duas missas celebrare in die. Hi, vel qui-
cunq; alij sacerdotes, in casibus à iure permissis
bis in die celebrare volentes non debent in prima
missa post sumtum sanguinem se purificare, vel
oblationem digitorum sumere, sed post sangui-
nis sumptionem, digitos super Calicem abluere,
& abluitionem huiusmodi in aliquod vas mun-
dum reponere, & alia die qua vnā missam tan-
tum celebrarunt, post sanguinis sumptionē, vel
eādē die post dictam secundam missam de ea
se purificare, seu post purificationem, & ablutio-
nem eiusdem secundæ missæ eam sumere. Plures
autem quam duas missas vna die celebrare non
licet, sola die Natiuitatis saluatoris nostri **I E S V
CHRISTI** cepta, in qua qualibet sacerdos alia sed
cele-

celebrandum dispositus, potest tres missas celebrare; quod facturus, etiam non debet in prima, & secunda missa se purificare, aut ablutionem digitorum sumere, sed eam in aliquod vas mundū reponere, & eam post purificationem tertiæ missæ sumere. Qui autem eadem die plures missas celebraturus in prima, vel secunda missa se purificauerit, aut ablutionem sumserit, non debet illa die ulterius celebrare. Præterea sacerdos in die natiuitatis prædictæ duas vel tres missas, etiam sine aliqua intermissione celebraturus debet ante quamlibet missarum huiusmodi dicere confessionem, & in fine cuiuslibet populo benedicere: & post primam, & secundam missas huiusmodi dicere Euangelium sancti Ioannis. **In principio erat uerbum, &c.** ac omnia alia facere, & dicere, purificatione ommissa, ut præfertur, quæ in alijs missis dierum, in quibus vna tantum missa celebratur, dicuntur, & fiunt. Post tertiam vero missam loco dicti Euangelij secundum Ioannem solet dici euangelium secundum Mattheum: Cum natus esset Iesus, &c. quod habetur in missa diei Epiphaniæ domini.

De missa sicca in mari, & fluminibus celebrari solita.

In loco fluctuanti ut in mari, & fluminibus celebrare

brare non licet alicui: consuevit tamē in nauibus
 in Mari pro populorum deuotione absq; conse-
 cratione missa (quam siccam vocant) dici per sa-
 cerdotem, hoc ordine: in loco Nauis ecclesiola nū-
 cupato parata est mēsa, supra quā ponitur map-
 pamunda, etiam non benedicta: & in medio par-
 tis posterioris eiusdem mensæ, crux, & hinc, &
 inde in cornibus posterioribus ipsius mensæ duo
 Candelâbra cum duabus candelis ardentibus colo-
 locantur, vbi sacerdos missam huiusmodi dictu-
 rus ante dictam mensam stans, accipit superpe-
 licium, & desuper stolam ab humeris dependen-
 tem, quam trauersat ante pectus in modum cru-
 cis: & Cingulo eam firmat, vel, secundum alios,
 omnibus paramentis sacerdotalibus induitur, or-
 dine superius dato, omissa sola Planēta siue Cao-
 fula, qua non vtitur. Sicq; paratus stans ante mē-
 sam prædictam facit confessionem cum interese-
 sentibus, dicens: **In nomine patris, & filij, & Spi-
 ritus Sancti.** Introibo, &c. prout habetur supra
 in principio Missæ vsq; ad orationem: Oramus
 te, domine, vt per merita, &c. exclusiue, ascendit
 ad mensam prædictam, & omisso illius osculo,
 stans in cornu Epistolæ legit illius Introitum:
 Kyrie eléison. Gloria in excelsis Deo: si est dicen-
 dum. Dominus vobiscum, non vertendo se ad
 popu-

populum. **Oremus**, & orationem ordinariam: deinde si placet, & dici conueniat, facit vnā vel duas commemoraciones, legit Epistolam. Graduale. **Alleluia**, si est dicendum, vel tractum: portat librum ad cornu Euangelij, dicit in medio mēse. **Munda, &c. Iube, &c.** deinde ante librum. **Dominus vobiscum. Sequentia, &c.** signando librum & se in fronte, ore, & pectore: finito euangeliō osculatur textum, dicit **Credo** si dies, & officium requirit. **Dominus vobiscum** non vertendose ad populum. **Oremus. Offertorium. Præfationem. Sanctus, &c. Oremus, præceptis salutaribus, &c. Pater noster. Agnus Dei,** & dat osculum pacis; si alias officio missæ illius diei, quod legit conueniat, reuertitur cum libro ad cornu epistolæ dicit communionem in eodem loco. **Dominus vobiscum** non vertendose ad populum. Post communionem, & commemoraciones: si prius fecit, ibidem **Dominus vobiscum**, vt prius & **Ite missa est, vel Benedicamus**, prout conuenit, aut **Requiescant in pace**, si legit pro defunctis, quo dicto ibidem se vertit ad populum, & ille more solito benedicit. Si nō legit pro defunctis, pro quibus si legit, benedictionem huiusmodi prætermittit. Tum dicit: **Dominus vobiscum** & signans se ipsum in fronte, ore, & pectore, con-

tinuat:

cinuat. *Initium sancti Euangelij secundum Ioā-
nem. In principio, &c. vtsupra, quo finito ves-
tes sacras, quas recipit, ibidem deponit. Omnia
præmissa in huiusmodi missæ dicuntur vo-
ce intelligibili, ita quod ab omni-
bus illi interessentibus
audiantur.*



FINIS.



